This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

A 860,969

1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

878
S20

Vol. 1

Vol. 1.
Contents

1. Martens,A. De Senecae Vita.
2. Siedler,H. De.Senecae philosophia morali
3. Probst,E. Seneca aus seinen Schriften.
RIBBECK,W. Seneca & Epikur,Plato,Christ.
5. Mueller,G.G. De Sen.quaest.naturalibus.

vol. 1.

DE

L. ANNAEI SENECAE VITA

ET

DE TEMPORE,

QUO SCRIPTA EJUS PHILOSOPHICA, QUAE SUPERSUNT, COMPOSITA SINT

SCRIPSIT

Alfredus Martens

DR. PHIL.

ALTONA, 1871.

A. MENTZEL.

De tempore quo L. Annaeus Seneca singula opera philosophica composuisse putandus sit nuper Lehmannus duobus locis (in octavo Philologi volumine et in libro cujus titulus est „Claudius und Nero und ihre Zeit“) egit. Cujus viri d. sententia cum saepe probanda saepius refellenda sit neque de auctoris alicujus scriptis, neglectis vitae ejus conditionibus, judicari possit liceat mihi priore capite breviter de Senecae vita, posteriore de ejus scriptis et quo tempore composita sint agere. —

Caput I.

De Luci Annaei Senecae vita.

De Senecae infantia et adulescentia, quae et in obscuro latent et ad nostrnm finem nullius momenti sunt, alii jam quae erui potuerunt collegerunt; ne autem in medio quasi incipiam illorum sententias breviter nunc afferam.

Senecam natum esse anno sexto ante C. n. putat Lehmannus. (Philol. VIII. 310.)

Senecam a proposito, quod anno 18 p. C. ceperat anno 19 discessisse eo apparet, quod totum annum in proposito abstinere animalibus se mansisse sed expulsis Judaeorum Aegyptiorumque sacris (Tac. ann. II. 85, anno 19) „ad pristinam consuetudinem rediisse (epist. 108, 22.)[1]) narrat.

Per longum deinde tempus Romae causas egit; cf. epist. 49, 2: „modo amisisse te videor, quid enim modo est si recorderis? modo apud Sotionem puer sedi, modo causas agere coepi, modo desii velle agere, modo desii posse."

1) In laudandis numeris Senecae locorum semper Haasi editionem *secutus sum.*

His verbis amplum temporis spatium complectitur, cum verba „modo desii posse“ ni fallor aliter explicari non possunt quam „quia expulsus sum ex patria“ (quod anno 41 p. C. n. accidit). Cum vitae spatium circiter viginti sex annorum verbis laudatis complectatur sententiam Lipsi probo adnotantis ad vocem „causas“ haec; „quas diu actitasse eum apparet et Cāji etiam temporibus magna eloquii gratia et fama.“ cf. Cassi Dionis verba (LVIIII. 19.) *ὁ δὲ δὴ Σενέκας ὁ Ἄννιος ὁ Λούκιος ὁ πάντας μὲν τοὺς καθ' ἑαυτὸν Ῥωμαίους πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους σοφίᾳ ὑπεράρας διεφθάρη παρ' ὀλίγον μήτ' ἀδικήσας τι, μήτε δόξας, ὅτι δίκην τινὰ ἐν τῷ συνεδρίῳ παρόντος αὐτοῦ καλῶς εἶπεν.*

Initio imperi Caji Senecam quaesturam gessisse verisimile est.

Pauca tantum de Seneca ex his temporibus comperimus, sed et ejus opes et dignitatem in diem auctas fuisse puto. Hoc non ea causa contendo quod adulteri cum Julia Germanici filia commissi accusatus exulatus est; sed quia, postquam octo annos in exilio fuit, per longum igitur tempus impeditus erat, quominus publicis muneribus fungeretur, Agrippinae ille visus est, cujus ope adjuta consilia sua contra Claudium ejusque libertos efficere posset. Senecam igitur quadraginta annorum spatio inter Romae potentes auctoritatem sibi ascivisse persuasum habeo, quam ut frangerent inimiei Roma eum pellere necessarium habuerunt, quamobrem adulteri cum Julia commissi eum accusaverunt, sive jure sive injuria; causa Senecae accusandi opus erat, haee illis temporibus paratissimam sese praebuit facillimeque credebatur. Mirae igitur certe sunt nonnullorum vv. dd. excusationes Senecae pudicitiae contendentium nihil nisi libertatem eum potentibus invisum reddidisse[2]). Octo anni

2) *cf. Cass. Dio. LX. 3. αὕτη (Οὐαλερία Μεσσαλῖνα) τὴν Ἰουλίαν ...*

Senecae in exilio degendi erant, quos praeter scripta quibus matrem et Polybium Claudi libertum consolaretur, studiis rerum naturalium consumpsit, quibus studiis etiam adolescens volumine de terrarum motu composito deditus fuerat. (cf. Nat. Quaest. VI. 4. 2; qui liber sextus nihil nisi hoc de terrarum motu volumen nonnihil amplificatum esse videtur). —

Romae interim Messalina Claudi uxore necata libertis imperatoris id agendum erat, ut Claudius aliam duceret uxorem, qua denuo sibi hominem imbecillum subjectum rederent. Sed ita Callistus Narcissus Pallas dissenserunt, ut alius aliam destinaret. Pallas denique fautor Juliae Agrippinae Germanici filiae, adjutus illecebris illius mulieris quibus patruum ita ceperat „ut praelata ceteris et nondum uxor potentia uxoria jam uteretur“ (Tac. XII. 3), vicit illaque Claudio a senatu populoque Romano uxor data est. Quae

---

ἐξώρισεν ἐγκλήματα αὐτῇ ἄλλα τε καὶ μοιχείας παρασκευάσασα ἐφ' ᾗ καὶ Σενέκας ὁ Ἄννιος ἔφυγε. κ. τ. λ.

Tac. ann. XIII. 42.: Se (Suillium) quaestorem Germanici, illum (Senecam) domus ejus adulterum fuisse.

Juvenal. V. 109. schol.: Hic (Seneca) sub Claudio quasi conscius adulteriorum Juliae Germanici filiae in Corsicam relegatus . . . est.

Carol. Peter (Geschichte Roms III. 273.): Seneca, dem man die ungesunde Insel Corsika als Verbannungsort anwies, wahrscheinlich weil er durch die freimüthigen Urtheile über die Vorgänge am Hofe in seinen Schriften (sic) die Rache der herrschenden Personen herausgefordert hatte.!

Teuffelium (Geschichte d. röm. Litteratur): Ihn betraf gleiches Loos als ihren Buhlen, dabei könnte er auch der Verführte gewesen sein.

Senecae virtutem admirando antecellit fere Dideroto (Essay sur Senéque) Boehmius: progr, Gymn. Fredr.-Guill. Berol. 1856.

Magnopere doleo quod Volquardseni, librum, cujus titulus est „*Ehrenrettung* Seneca's“ nusquam repperire potui.

Domitio filio, „in quem populus inclinabat“ (Tac. XI. 12.) imperium parare cupiens qartes suas corroborandas esse intellexit; neque quomodo hoc efficere studuit vituperare possumus. Revocato enim ex exilio Senecae quem „fidum in se memoria beneficii et infensum Claudio dolore injuriae“ credidit (Tac. XII. 8.) praeturam impetravit anno 49.

Ex hoc tempore, ubi Seneca et honore publico et loco amplissimo educandi Neronis functus est, veteres auctores plura de hoc viro tradiderunt.

Tres spectandi sunt auctores Tacitus, Cassius Dio, Suetonius.

Primo statim conspectu Tacitum vel quos secutus sit fontes Senecae favere intellegimus. Quae hujus viri facta laude digna sunt summis laudibus elata, quae ab aliis vituperata putares ita ambigue enarrata sunt, ut, ceteris auctoribus neglectis, frustra nonnumquam interroges, quae sit vera auctoris sententia, e. g. Taciti de caede Neronis matris narrationem affero. (Tac. XIIII. 7.)

E contrario Cassius Dio multis locis Senecam vituperat, quamobrem plerique omnes qui nostris temporibus de Seneca egerunt summis opprobriis in Dionem invecti sunt.

Nuper Mommsenus Taciti in historiis et Suetoni fontem Cluvium Rufum fuisse in Hermae vol. IV. p. 295 sqq. demonstravit. In fine dissertationis vir doctissimus haec habet: Conici licere Tacitum in annalibus quoque, rarius quidem quam in historiis Cluvio fonte usum esse, quia hunc auctorem nonnumquam citaret. (l. l. p. 325.) Addit se Dionem quoque nonnullis locis Cuvium usurpasse putare (l. l. p. 322). Cluvium Rufum autem non post annum sextum p. C. natum Neronisque comitem factum cum ille per Graeciam histrio vagatus sit, post annum septuagesimum p. C. n. mortuum esse (l. l. p. 318).

Rectissime m. q. s. Cluvium eum fuisse credit, qui Caligulae, Claudi, Neronis quasi imagines posteritati tam claras tradiderit. Sed quamquam negari non potest Cluvium ad res illorum temporum depingendas optime instructum fuisse, tamen socium Neronis ineptiarum dignum non habebimus, cui semper credatur. Imo, quae tradit summa diligentia examinanda sunt.

Neque aliter judicabimus de Fabio Rustico, altero fonte a Tacito saepe usurpato. Fabius enim, amicus L. A. Senecae, M. A. Senecae „historias ab initio bellorum civilium" inde exsecutus est, ubi amici pater morte impeditus desierat. Fabium incepisse putat Gutschmidius (cui viro eximio haec de Fabio debeo) a Caji imperio.

Amico Senecae de Seneca referenti jure nostro diffidemus. Etiam Tacitus hanc ob rem de illius fide dubitat cf. XIII, 20. „sane Fabius inclinat ad laudes Senecae, cujus amicitia floruit." (cf. Nipperdeyi in Tacitum praef. p. 20.)

Plinium denique tertium fontem, quo inprimis usus est Tacitus nugas et narratiunculas colligentem ab Nerone incepisse putat Nipperdeyus. (l. l. p. 21.)

Taciti igitur fontes de Seneca referentes optimos nullo modo fuisse videmus. Quamobrem Dionem nonnumquam aliter de Seneca judicantem nec vituperare nec negligere debemus. Magnopere dolendum est, quod Dionis, ingeniosissimi scriptoris fontes nondum cogniti suut[3]).

Septendecim annos natus Nero imperator factus est; ingenium ejus ad veneris delicias proclive, quia coercere aut non potuerunt aut noluerunt educatores (qua voce Senecam

3) Wiedemannus in dissertatione cujus titulus est: „De Taciti Plutarchi Suetonis Dionis Cassii fontibus. Berol. 1857. nihil de Dionis fontibus dicit."

Burrumque amicum complector) eo consilio etiam adjuverunt, ut sibi eo inturbatior fieret auctoritas quo minus verus imperator res qublicas curaret. Neque Tacitus hoc negat, qui Annaeum Serenum Senecae familiarem nomen praebuisse, ut „primae cupidines Neronis velarentur tradit (XIII. 13). Id agebant Burrus et Seneca, ut Neronem sibi prorsus subjectum redditum a matre abalienarent, cujus ingenium virile metuebant, quae initio Neronis iuperi re vera rem publ. Romanam rexerat, quae propositum suum et dandi filio et servandi imperium (Tac. XIV. 9) aperte elocuta erat. Neque mihi persuadere possum educatores Agrippinae eo consilio restitisse, ut puerum dignum imperio redderent; sed qui ipsi imperatores regnare non potuerunt educatores imperatoris m. q. s. regnare voluerunt. Filium igitur, ut a matre separarent, necesse erat ex ea parte capere, qua facillime tangi potuit; ita erat ille in delicias demergendus, ut ei irasceretur, qui ex his eum eripere vellet.

Octaviam uxorem, infelicissimam quae imperatoi nupserat mulierem, adolescens libidinosus oderat, aliae igitur et inprimis libertae adhibendae erant, quae data occasione et adduci et removeri facillime poterant. A quarum amore, cui deditus ne semper educatores huic amori favenites sponte sequeretur Agrippina jure suo timebat, filium abstinere conata est; sed frustra; se ipsam igitur illi libidinum ministram obtulit. Nerone se illius operam suscepturum esse denegante optime intellexit, Neronem Senecam Burrum contra se ipsam Pallantem alios sectatores conjunctos esse, et, Pallante cura rerum demoto, (Tac. XIII. 14) satis noto pavido Neronis animo nuntio eum turbare conata est: „ituram se cum Britannico in castra.“ Sed, qui „trunca manu et professoria lingua humani regimen expostulabant,“ ei potentiores etiam erant, quam quos facile subverteret. Sed

quamquam Britannicus necatur, consilia non mutat cum Octavia amicitias jungens et ita agens, „quasi quaereret ducem et partes.“

Neminem serio credere puto tam cito Agrippinam mulierem constantissimam consilia mutasse, ut pro Messalinae liberis filio unico adversaretur. Quidquid egit 'intenditque nihil efficere debuit nisi ut veri imperatores Seneca Burrusque opprimerentur Neroque ex illorum auctoritate eximeretur, quam ut firmarent constanter hi duo viri viam suam secuti sunt, quam alios quoque perspexisse e Taciti loco (XV. 65) apparet: „fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus occulto consilio neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur tradereturque imperium Senecae quasi insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium delecto.“

Agrippina operam perdidit, potestas amicorum in dies augebatur; cf. Cass. Dio. LXI. 3: *κατεργασάμενοι δὲ τοῦτο αὐτοὶ τὴν ἀρχὴν ἅπασαν παρέλαβον καὶ διῴκησαν ἐφ' ὅσον ἠδυνήθησαν ἄριστα καὶ δικαιότατα ὥσθ' ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων ὁμοίως ἐπαινεθῆναι.*

Agrippinae ira Britannico necato leniri non potuit; tribunorum et centurionum animos tentavit. Quamobrem Neronem excubias militares degredi jussisse legimus. (Tac. XIII. 18.) Junia Silana, infensissimo in eam animo, quia Agrippina Sextium Africanum a nuptiis Silanae deterruerat, accusatores parat. Paris igitur histrio deferre impellitur Agrippinam Neronis vitae insidiari.

Cui terrore perculso Burrus matris necem promisit, antea audita Agrippina. Quae Senecae Burroque ad eam missis superbe respondit; quod responsum, quamquam Tacitum exornavisse putabimus, aptissimum tamen est et hujus mu-

lieris ingenio et rerum conditioni. Agrippina optimo jure quaerere poterat „vivere ego Britannico rerum potiente poteram?“ (Tac. XIII. 21) „Conloquium fili expoposcit et ultionem in delatores et praemia amicis obtinuit.“ Haec acta sunt anno 55.

Tres annos post[4]) novus in Agrippinae inimicos impetus factus est, sive gnara sive nesciente Agrippina.

P. enim Suillius (cf. Tac. XIII. 42,) qui pretio causas orasse accusatus erat defensione omissa potentem Senecam, Neronis amicum, summis criminationibus adortus est. Quarum vim Tacitus delenire studens „terribilem et venalem hominem fuisse affirmat, sed ex illis, quae mihi postea referenda erunt, eas veritate non modo non carere, verum etiam prorsus cum ea quadrare intellegetur. Quaerit enim Suillius de Seneca,“ qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae ter miliens sestertium paravisset?“ cf. Cass. Dio. LXI, 10 *καὶ γὰρ τυραν-*

4) De Senecae consulatu lis vv. dd. nondum liquere mihi videtur. Henzenius quidem (in Hermae vol. II. p. 37 sqq.) de tabula fratrum Arvalium nuper inventa disserens, cum illa tabula, anno 58 p. C. consules munere functos esse, quos nondum novissemus (cf. l. l. p. 44.) et a Borghesio demonstratum esset Senecam annis 59—62 consulem non fuisse, nullum ejus consulatus annum restare nisi 57 contendit. Et Borghesius et Henzenius laudant caput 53 l. XIIII. Taciti, quo uterque annum quem ipse probarit, rectum esse demonstrari putat. Sed cur tantopere urgendae sint hujus capitis voces „medio temporis“ nescio. Num forte et „tantum opum“ eodem anno in Senecam cumulatum esse, quo „tantum honorum“ putandum est? Neque cur annum consulatus ratiocinaturi hi vv. dd. unius vocis „octavus“, neglectis verbis antecedentibus „quartus decumus annus est“ rationem habuerint intellego. Equidem voces „medio temporis“ nihil aliud significare, quam nostrum. „In *der Zwischenzeit*“ puto.

αἰδοc κατηγορῶν τυραννοδιδάσκαλοc ἐγίνετο καὶ τῶν συνόντων τοῖc δονάσταιc κατατρέχων οὐκ ἀφίστατο τοῦ παλατίου. Τοῖc δὲ πλουτοῦcιν ἐγκαλῶν οὐcίαν ἑπτακιcχιλίων καὶ πεντακοcίων μυριάδων ἐκτήcατο. Quae ne quis nimis aucta putet inspiciat Dionis locum LXII. 1, ubi de Britannorum seditione auctor referens inter alias, a Tacito quoque narratas, causas irae incolarum hanc addit: πρόφαcιc δὲ τοῦ πολέμου ἐγένετο ἡ δήμευcιc τῶν χρημάτων, ἃ Κλαύδιοc τοῖc πρώτοιc αὐτῶν ἐδέδωκει. καὶ ἔδει καὶ ἐκεῖνα, ὡc γε Δεκιανοc Κάτοc ... ἀναπόμπιμα γενέcθαι· διά τε οὖν τοῦτο, καὶ ὅτι ὁ Cενέκαc χιλίαc cφίcι μυριάδαc ἄκουcιν ἐπὶ χρηcταῖc ἐλπίcι τόκων δανείcαc ἔπειτ' ἀθρόαc τε ἅμα αὐτὰc καὶ βιαίωc εἰcέπραccεν.

Quae quia optime cum Suilli verbis: „Italiam et provincias immenso faenore hauriri“ quadrant a Dione ficta non puto.[5])

Suillius „adempta bonorum parte in insulas Baleares pellitur.“

Nero interim, repudiata aut neglecta Acte liberta, Poppaeam Sabinam amabat (Tac. XIII. 45 sqq.), quae et eximia forma et callida modestia et cavillationibus adeo adulescentem viginti duo annos natum ceperat, ut illius matrimonio omnia postponenda haberet.

Novis igitur amoris vinculis impeditus erat, ne res publ. curaret, eo acceptior Senecae Burroque novus hic amor visus est quo periculosior Agrippinae, quae igitur filium suae ipsius amore devincire voluit. (Tac. XIIII. 2.)

„Contra muliebres inlecebras subsidium a femina“ pe-

---

5) Etiam Merivalius (history of the Romans under the empire) summus Senecae admirator de hoc Dionis loco judicat: „Dion is ill natured, yet I do not think, he can have invented this story“. — (VI. 252.)

tivit Seneca inmissa in cubiculum Acte liberta, „ne ferox et inpotens mulier et hoc genere gratiae valeret.“ Jussa erat liberta nuntiare pavido adulescenti:“ non toleraturos milites profani principis regimen“ (Suet. Ner. 28).

Tacitus „Neronem vitasse Agrippinae secretos congressus“ refert; perspicuum est non Neronem sed Senecam hujus discessus auctorem fuisse, quod apparet e Taciti capite tertio l. XIIII, quo cum antea de Nerone quomodo mater interfici posset considerante locutus est deinde sic pergit: „ferrum et caedes, quonam modo occultaretur nemo reperiebat; et ne quis illi tanto facinori delectus jussa sperneret, metuebant.“ Nero igitur conscios habuit, neque qui fuerint diu dubitabimus in ceteris enarrandis persequentes. Modum, quo matrem necare studuit imperator, sat notum et a Tacito capp 3—6 narratum explicare supersedens ad id tempus transeo, quo servatam esse matrem audivit. Perterritus accivit Burrum et Senecam „incertum an et ante gnaros“ [6]).

Diu uterque tacuit, tandem Seneca a Burro, num milites Agrippinam necare jussos obedituros imperio putaret

6) „Nisi quid Burrus et Seneca expergens quos statim acciverat incertum an et ante ignaros“ legitur in codice. verbum „expergens“ mutari debet, neque cetera sic servari possunt. Nam interpretatio haec: interrogasse auctorem, num ei, qui, cum Agrippinam necatam non esse audivissent, se totum consilium Agrippinae necandae ignorasse contendissent, re vera antea nescii hujus consili fuissent necne, spinosior est. Neque tamen Nipperdeyi sententiam probarim conicientis „quos statim acciverat incertum an aperiens, et ante ignaros“. nullo enim modo suspicabimur, Tacitum disertis verbis dixisse, Burrum Senecamque Neronis in matrem insidias prorsus nescivisse. Lenissima mihi videtur conjectura haec: nisi quid B. et S., quos statim acciverat expavescens, incertum an et ante gnaros.

quaesivit; id quod Burrus negans „perpetraret Anicetus promissa respondit"; Anicetus promissis stetit.

Tria huic narrationi insunt sibi repugnantia: Neronem nemini nisi Aniceto (cap. 3) quid perpetrari vellet prodidisse; dubitari deinde utrum Burrus et Seneca Neronis consilia ignorassent; Burro autem perbene Aniceti promissa nota fuisse.

Hac rerum expositione demonstratum crediderim non Neronem adulescentem, quem eandem et matrem et pelicem habere non pudebat, sed duo viros, qui conjuncta matre cum filio locum suum tenere non valebant hujus necis auctores fuisse.

Quam sententiam Cassius Dio adjuvat, qui sic dicit (LXI. 12) *καὶ (τὸν Νέρωνα) καὶ ὁ Σενέκας ὡς πολλοῖς καὶ ἀξιοπίστοις ἀνδράσιν εἴρηται* (quae testimonia nullo modo neglegi debent) *παρώξυνεν, εἴτ' οὖν τὸ ἔγκλημα τὸ καθ' ἑαυτοῦ ἐπηλυγάσασθαι βουληθείς, εἴτε καὶ τὸν Νέρωνα ἐς μιαφονίαν ἀνόσιον προαγαγεῖν ἐθέλησας ἵν' ὡς τάχιστα καὶ πρὸς θεῶν καὶ πρὸς ἀνθρώπων ἀπόληται· ἐπεὶ δὲ καὶ ἐκ τοῦ προφανοῦς ὤκνουν τὸ ἔργον καὶ κρύφα διὰ φαρμάκων οὐκ εἶχον* (scl. Nero Seneca Sabina) *αὐτὴν ἀνελεῖν . . . κ. τ. λ.*

Refutare eorum ineptias, qui Senecam totum consilium contra Agrippinae vitam ignorasse, facinore perpetrato pro virili ejus ingenio, quae mutari non potuissent fortiter tolerasse contenderunt (cf. e. g. Boehmium l. l. p. 32) supersedeo; cur enim postquam Agrippinam etiam vivere audivit eam servare non studuit?

Agrippina necata infirmo summoque pavore oppresso Neroni, qui facinora optare neque perpetratorum memoriam tolerare potuit, Burrus centuriones et tribunos misit adulatione imperatoris facta probaturos. Ut Burrus militum ita Seneca civium animos sedare conatus est Neroni ora-

tione composita, qua matris mortem justam ejus criminum poenam fuisse demonstrare voluit.

Ne Tacitus quidem haec memorans verum omnium animum celat; „ergo non jam“ inquit „Nero cujus immanitas omnium questus anteibat sed Seneca adverso rumore erat, quod oratione tali confessionem scripsisset?“

Nero, ut conscientiam stimulantem comprimeret, cum facultate oratoria careret, (Tac. XIII. 3) in alia animum detorsit. cf. Tac. XIV. 14: „Vetus illi cupido erat curriculo quadrigarum insistere nec minus foedum studium cithara ludicrum in modum canere . . . nec jam sisti poterat, cum Senecae ac Burro visum, (cf. c. 15 „maerens Burrus ac laudans) ne utraque pervinceret alterum concedere“. —

Ad quem locum nihil fere habeo, quod addam. Neronem his negotiis ineptiisque occupatissimum non modo non cohibuerunt educatores verum etiam adjuverunt, semper ei morem gerentes, ut ipsis esset imperium cf. Cass. Dio. LXI. 20 [Nero citharoedus progressus est] *καὶ αὐτῷ καὶ ὁ Βοῦρρος καὶ ὁ Σενέκας καθάπερ τινὲς διδάσκαλοι ὑποβάλλοντές τι παρειστήκεσαν. καὶ αὐτοὶ τάς τε χεῖρας καὶ τὰ ἱμάτια, ὁπότε φθέγξαιτό τι, ἀνέσειον καὶ τοὺς ἄλλους προσεπεσπῶντο.*

Hos autem viros potentia sua modeste usos fuisse negari non potest, neque hoc mirum. Quae enim agebant et Neroni et Romanis placere debuerunt; Neroni, quia iracundus suspiciosusque adulescens facillime non sibi sed aliis revera esse imperium intellegere potuit, Romanis, quia amicis omni modo cavendum erat, ne ab aliis Nero instigaretur.

Gravissimas igitur poenas, quas Nero propter prodigia, post matris necem observata, in noxios vel in eos, quos noxios putabat, statuere voluit, lenire studuerunt eodem *modo, quo Neronis* imperi initio „caedibus obviam“ ierant

(Tac. XIII. 2.) cf. Cass. Dio. LXI. 18, qui cum mantes Neroni multis prodigiis visis, ejus mortem non nisi multis necatis evitari posse vaticinati sint Senecam adulescenti caedis avidissimo haec fere dixisse tradit: *ὅτι, ὅσους ἂν ἀποσφάξῃς, οὐ δύναται τὸν διάδοχόν σου ἀποκτεῖναι.*

Usque ad annum 62 nihil amplius de Seneca comperimus. Inde autem statim rerum conditionem prorsus mutatam esse intellegimus. Seneca Burrusque magna quidem auctoritate fruuntur sed principi suspecti sunt. Neque difficile est intellectu, quomodo tantopere res mutatae sint. Nero anno sexagesimo altero, annos viginti quinque natus summis facinoribus et sceleribus commissis libidinibus satiatus, nonnumquam aegritudine vexatus (Tac. XIV. 22. s. f.; 47.) non adulescens fuit, qui lenissimo quasi impetu regi potuit, sed tyrannus crudelis eodem modo homines metuit, quo metuebatur. Modestia praeterea, qua Burrus Senecaque potestate utebantur, Neronem impediebat, quominus voluntatem suam secutus summa imis confunderet et necatorum exulatorumque opibus facultates augeret.

Inprimis Burrus timendus erat, cui milites fidi erant, quod supra cum imperatoris mater occideretur vidimus. Hoc veneno necato (Tac. XIV. 51. „subito concessit vita Burrus incertum valetudine an veneno.“ Dio LXII. 13. *τοῦτον* (Burrum) *μὲν οὖν φαρμάκῳ διώλεσεν*, scl. Nero) imperioque praetorianorum inter duo diviso, qui inter se inimicissimi erant, (Tac. XV. 50.) Senecae potentia fracta est, qui variis criminationibus accusatur, magno certe Neronis gaudio, qui et a magistro molestissimo liberari et opibus ditissimi Senecae frui vellet. Tacitus varias, quibus Senecam adorti sunt accusatores criminationes enarrat, quas veras esse nemo negabit.

Seneca enim et ditissimus erat (quamobrem facile ua-

bis persuadebimus illum „studia civium in se vertisse".) et principem equis regendis talibusque occupationibus adjuverat et alios „eloquentiae laude" praecellit et „carmina factitabat saepius postquam Neroni amor eorum venerat".

Haec criminatio ceteris callide apposita est, quippe qua Senecae potentiam, veram hujus litis causam, qua nominata Neronis iram in semet ipsos convertissent, accusatores longius ab oculis removerent, quamquam e Taciti verbis (XIV. 52.): „certe finitam Neronis pueritiam et robur juventae adesse, exueret magistrum satis amplis doctoribus instructus majoribus suis" colligi potest, accusatores haud longe abfuisse, quin veram causam proderent.

Etiam Seneca oratione,[7]) qua a criminationibus se defendere studuit, de nulla re nisi de divitiis verba fecit, quas principem procuratori administrandas dare jussit, cum sibi „incumberent". In fine dixit: „superest tibi robur et tot per annos fultum fastigii regimen, possumus seniores amici quiete reponere", vicinitatem igitur Neronis effugere voluisse videtur.

Sed Romae manere pristinaeque cum discipulo amicitiae speciem servare debuit; periculosum quidem erat ingentibus cum divitiis sub avari principis oculis manere, periculosius tamen non obediendo huic, qum diu quaesiverat, occasionem praebere tollendi divitis et praeceptoris et summorum scelerum participis, quos quomodo occasione data Nero amoveret, Seneca ex Aniceti „maternae necis patratoris" (Tac. XIV. 62.) exilio intellegere poterat.

Itaque „instituta „quidem „prioris potentiae commutat,

---

[7]) Quo jure Merivalius l. l. 335. 1: illas orationes inter Senecam et Neronem neque habitas esse, neque si habitae essent, memoriae traditas esse posse, contendat nescio. —

prohibet coetus salutantium, vitat comitantis, rarus per urbem quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi adtineretur" (Tac. XIV. 56.), sed auctoritate haud parva etiam fructus est, quod intellegitur ex Tac. XIV. 65: „Romanus secretis criminationibus incusaverat Senecam ut Pisonis socium[8]) sed validius a Seneca eodem crimine perculsus est." Illius potentiam nullo modo prorsus debilitatam censebimus, qui validius quam accusatus est accusatorem percellere potest.

Medio anno 64 (Tac. XV. 38.) „sequitur clades forte an dolo principis incertum ... sed omnibus, quae huic urbi per violentiam ignium acciderant gravior atque atrocior."

Nova urbs, vetere incendio deleta, aedificanda erat, defuerunt pecuniae, ad quas conferendas „pervastata Italia, provinciae eversae sociique populi Romani et quae civitatum liberae vocantur; inque praedam etiam dii cessere, spoliatis in urbe templis ... ferebatur Senecam, quo invidiam sacrilegii a semet averteret, longinqui ruris secessum oravisse". (c. 45.). Sed quis est, qui hanc secessus causam veram, qui eum tam religiosum putet, qui sine coelestium metu ad facinora taeterrima efficienda paratissimum sese praebuerat?

Ni magnopere fallor causa longe alia est; Seneca opes suas sibi servare et hanc ob causam imperatorem omnia conferendo pecunias vastantem effugere voluit. Sed cum iter ei non concessum, cum fortasse venenum ei paratum esset (Tac. XV. 45. s. f.) eo tempore Senecam illud dimisisse

8) Nipperdeyus pro voce socium amicum legi maluit; nescimus utrum Piso hoc jam anno contra Neronem conjuraret an cujus criminis particeps Pisoni Seneca factus sit, quamobrem quae vera sit lectio dubito.

puto, quod ut servaret tot pericula subierat. Tacitus quidem conticet, quod Dio tradit LXII. 25: Senecam divitias suas Neroni donum dedisse ad aedificia incendio deleto restauranda.[9]) Seneca divitiis orbatus Neroni dignus videri non potuit, cujus vitae insidiaretur, quamobrem non dubito, quin Nero eum quietem agere passus esset, nisi homo callidus, ut denuo re publ. administranda auctoritate frueretur contra imperatorem conjurasset.

Totus populus Romanus Neronem detestans jam longum per tempus ab eo liberari conatus est. Optime igitur Tacitus (c. 49.) „initium" inquit, „conjurationi non a cupidine fuit nec tamen facile memoraverim, quis primus auctor, cujus instinctu concitum sit, quod tam multi sumpserunt."

Propositum hujus conjurationis, quam Pisonis vocant, diversum traditur, alii ut Piso imperator fieret, alii ut post „occisum Pisonis opera Neronem Piso quoque interficeretur tradereturque imperium Senecae" destinaverunt. Quinam hi fuerunt? Praetorianorum duces, nempe Subrius Flavus tribunus praetoriae cohortis cum centurionibus velut Sulpicio Aspro. (Tac. XV. 65 et 49). Verisimile est Senecam militibus, qui Burro amico fidelissimi fucrant, confidere potuisse. Seneca igitur non dico caput totius conjurationis sed socius gravissimus fuit cum eum praetoriani sequerentur. Dubitanti igitur Tacito, „Seneca forte an prudens ad eum diem remeaverat" (cap. 60.) jure nostro affirmare poterimus Senecam prudentem remeasse.[10])

---

9) *Καὶ Σενέκας οὕτως ἐτελεύτησε, καίπερ τήν τε συνουσίαν τὴν πρὸς αὐτὸν, ὡς καὶ ἀσθενῶν, προϊέμενος, καὶ πᾶσαν αὐτῷ τὴν οὐσίαν ἐπὶ τῶν οἰκοδομουμένων προφάσει κεχαρισμένος.*

10) cf. Merivalium VI. 364. if not actually engaged in the plot we may infer I think from Tac. that he (Seneca) was aware of it.

Conjuratio intemperantia Flavi Scaevini proditur (Tac. XV. 54 sq.) „Antonius Natalis de Pisone primum fatetur, deinde addit A. Senecam sive internuntius intra eum Pisonemque fuit, sive ut Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecae omnes ad eum opprimendum artes conquirebat.“

Princeps, qui olim amicus sibi fuerit, eum nunc inimicissimum factum esse intellexit. Piso sive ignavia sive mentis quasi stupore captus mansit iners neque aperta pugna tyrannum adoriri ausus domi „abruptis brachiorum venis“ obiit. — G. Silvanus tribanus praetoriae cohortis Senecam „percontari jubetur an dicta Natalis suaque responsa nosceret.“[11]) Seneca verba relata alio sensu dicta esse demonstrare conatus cur salutem privati hominis incolumitati suae anteferret interrogavit. Superbam et dignam, quae animadvertatur, sententiam addidit: „Nec sibi promptum in adulationes ingenium idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui saepius libertatem Senecae, quam servitium expertus esset.“ Haec enuntiata a viro, qui post Claudi mortem, ut Agrippinae placeret, *ἀποκολοκύντωσιν*, post Agrippinae mortem Neroni „confessionem“ scripserat, qui Neronis libidinum ineptiarumque fidelissimus adjutor tam diu fuerat quam consiliis suis non repugnaret, ridicula sunt.

Sed constantia animi, qua ad mortem sese paravit, postremo vitae spatio philosophum se esse probans, summa admiratione digna est.

Tacitus de Senecae morte referens miram narratiunculam addit, Paulinam uxorem multos annos minorem natu propter amorem viri a Seneca petivisse, ut sibi cum eo mori liceret; neque hunc ejus gloriae adversum fuisse immo brachia ei

---

11) G. igitur Silvanus conjurationis socius (Tac. XV. 50.) non proditus esse videtur.

ferro exsolvisse. Seneca diu animam agente mortuo Neronis jussu Paulinam servatam esse, „ne glisceret invidia crudelitatis."

Non possum, quin pulcherrimam hanc narratiunculam postea a Senecae amicis compositam ducam.

Seneca enim in villa sua apud quartum lapidem mortuus est, Nero Romae mansit (nemo enim imperatorem ex urbe egressum esse ut praeceptoris mortem ipse inspiceret tradidit). Credo igitur Paulinam, cujus venae diu ante mariti mortem solutae erant, eo tempore mori debuisse, quo post Senecae mortem nuntium Senecae mulieris quoque venas solutas esse mitti Romam, et inde rus renuntiari potuerit vitam ejus servandam esse.

Simpliciorem fideque digniorem narrationem legimus apud Dionem hanc: Senecam voluisse uxorem secum mori sed marito antea defuncto Paulinam servatam (scil. ab iis, qui aderant) esse, cf. Dio. LXII. 25.

Seneca supremum diem obiit mense Aprili anni 65 p. C. n. (cf. Clinton. fast. Rom. p. 47).

Seneca non tam philosophus quam homo publicis negotiis deditus erat. Unum semper finem ante oculos habuit omnibus modis potentiae et servandae et augendae. Neque taeterrima facta abhorruit, quibus propositum efficere studuit. Prudens per longos annos periculosum locum tenuit gubernans illum hominem, de quo inter familiares dici solebat: „non fore saevo illi leoni, quin gustato semel hominum cruore ingenita redeat saevitia". (schol. ad Juv. V. 109.) Senecam ab hominibus temere necandis abstinuisse obviam vero ivisse tyranno constat. Seneca viam suam constanter ingressus est; hanc ob causam immensas pecunias collegit, hanc ob causam homo politicus fide punica, quibus antea *conjunctus* erat velut inimicissimos insidiis oppugnavit.

Dio Senecam vituperans *πάντα* inquit *τὰ ἐναντιώτατα οἷς ἐφιλοσόφει ποιῶν ἠλέγχθη* (LXI. 10.) Sed virum non tantum ex scriptis cum factis comparatis judicare oportet; neque exspectabimus scripta viri rebus publicis dediti prorsus cum ejus factis consentire. Senecae deliciae et *πόνων ἀνάπαυσις* erat philosophiae studium, quod in hac occupatione saepe alias sententias commodavit atque in vita secutus est, quis est, qui miretur?

M. q. s. qui Senecam acerrime vituperant philosophi verbis cum viri publici actis comparatis eodem modo errant atque qui actis ejus non perpensis ex solis scriptis philosophum in coelum tollere volunt. —

Caput II.

Capite priore Senecae vita descripta hoc de tempore agam, quo singula ejus scripta quae ad nos pervenerunt, eum composuisse putem.

Demonstravisse me credo, hujus viri vitam occupatissimam negotiis publicis semper fuisse. Qui autem Nerone regnante et principem et cives imperio tenuit res ejus temporis, quo scripsit, non nisi rarissime et cautissime significare potuit (cf. epist. 118. 2. „Numquam potest deesse quod scribam, ut omnia illa quae Ciceronis implent epistulas transeam, quis candidatus laboret, quis alienis, quis suis viribus pugnet e. q. s. cf. Haasi praef. ad tertium edit. vol. p. I.).

Quamobrem e plurimis Senecae scriptis summa tantum cum difficultate intellegi potest, quo anno composita sint.

Cum igitur primum, quibus annis dialogi, quos vocant, compositi sint demonstrandum suscipiam illo statim ordine de illis loquar, quo eos compositos esse puto.

Ad Novatum de Ira

libri tres. (Dialogus III — V.)

In his quoque libris auctor multis verbis facta, ad quae eum se rettulisse putares ita fere semper quasi velavit, ut divinare magis quid verum sit debeamus quam traditum accipiamus. Singula ergo examinanda erunt.

Tres de ira libri, qui arcte inter se cohaerent, dedicati sunt M. Annaeo Novato Senecae maximo natu fratri, qui posteriore tempore a Junio Gallione adoptatus Gallionis nomen accepit. Quo tempore adoptatus sit nescitur.

M. Annaeus Seneca rhetor hunc filium semper Novatum adlocutus est. M. Seneca saepius senem se nominat, cf. Contr. I. prooem.: „Sed cum multa jam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit“ e. q. s. Novatus vivo patre civilibus officiis operam dedit, cf. M. Sen. praef. l. II. ubi Melam tertium filium adloquens haec habet: „Fratres tui foro et honoribus parant.“ Quia semper a patre Novatus nominatur colligimus eum non adulescentem sed juvenem a Gallione adoptatum esse.

Pergamus ad ipsos Senecae de ira libros. Nullum factum in his memoratum invenimus, quod post Caligulam commissum est. Hoc Lehmanno oppono, cui (cf. Philol. VIII. 316 sqq.) verba Dial. V. 3. 6 ad christianorum insectationem referri posse videntur. Describuntur hac paragrapho tormenta, quibus potentes viri ira seducti alios vexaverint. Seneca demonstrare vult Aristotelis sententiam, „calcar iram esse virtutis“ falsam esse (Dial. V. 3. 1.)

Ostendit igitur, quam taetra sit irae rabies, quibus horridis instrumentis vel adparatibus utatur. Liceat exscribam paragraphum.

„Ne quem fallat tamquam aliquo tempore aliquo loco profutura ostendenda est rabies ejus effrenata et adtonita adparatusque illi reddendus est suus, eculei et fidiculae et ergastula et cruces et circumdati defossis corporibus ignes et cadavera quoque trahens uncus, varia vinculorum genera, varia poenarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis et bestiarum immanium caveae. Inter haec instrumenta conlocetur ira, dirum quiddam atque horridum stridens omnibus per quae furit tetrior."

Talia Lehmannus Senecam cum educandi Neronis periculumsubiisset ad discipuli notissimum vitium se referentem scripsisse arguit.[1])

Quia Nero christianorum sectae addictos pice litos comburi jussit paragraphoque citata Seneca de ignibus circumdatis corporibus loquitur, nullo modo necesse est haec verba ad Neronis saevitiam referri, praesertim cum philosophus ipse tradat se sub Caligula homines igne combustos vidisse, cf. Nat. Quaest. IV. praef. 17: „Videbam apud Cajum tormenta, videbam ignes, sciebam olim sub illo in eum statum res humanas decidisse, ut inter opera misericordiae haberentur occisi." Ad haec cf., quaeso, Suetoni capitis in vita Caligulae 27 verba: „Multos homines honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis ad metalla aut ad viarum munitiones aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more

1) Und da Nero's Jähzorn bekannt war, so passt es sehr gut, dass Seneca gerade beim Beginn seiner Stellung sich über die Bekämpfung des Zornes ausgesprochen hat. cf. de Claud. et Ner. p. 11.

quadrupedes cavea coercuit aut medios serra dissecuit ... Atellanae poetam ob ambigui joci versiculum media amphitheatri arena igni cremavit."

Verbis Senecae Suetoni verba respondent, neque dubito quin Seneca l. l. ad Caligulam referat.

Quod si verum est statim apparet, Cajo vivo haec scribi nequivisse eodemque modo constat Claudium iracundissimum hominem fuisse, neque dubito quin prooemio primi de ira libri Seneca Claudium descripserit, videas enim quantopere ejus, quamquam longior est, cum Suetoni irati Claudi descriptione congruat, quam legimus capite 30 Claudi vitae „risus indecus, ira turpior, spumante rictu, humantibus naribus, praterea linguae titubantia caputque cum semper tum in quantulocumque vel maximo tremulum". Facillime Senecam hominem, cujus ira notissima erat, quasi exemplum sumere putuit in describendis malis ex ira orientibus, neque credamus oportet illum principem significantem omnia hujus irae signa describere debuisse.

Scriptos igitur esse hos libros annos quadragesimo primo[2]) post Caligulae mortem et ante Senecae exilium puto; semper enim id nobis animo tenendum est, Senecam fratrem, quem alioquin semper Gallionem vocat, non nisi his libris Novatum appellare. Hos igitur libros Senecae scriptorum, quae ad nos pervenerunt, veterrimos esse contendo.[3])

---

2) Clinton F. R. I. p. 25. non diu post Caligulae mortem hos libros compositos esseputans sententiam suam verbis dial. V. 18. 3. „modo C. Caesar" e. q. s. fultam credit. Supra jam demonstravi (p. 5.) Senecam hac voce etiam longum tempus indicare.

3) cf. quae adnotavi ad Dialogum sextum adnotatione quarta (p. 31.).

Ad Polybium de consolatione,

(Dial. XI.)

Scriptum hunc dialogum puto fine anni 41 aut initio anno 42 cf. cap. decimi terti paragraphum alteram „Hic (Claudius) Germaniam placet, Britanniam aperiat et patruos triumphos ducat et novos“ cum Dionis libri LX. capite 21, quo anno 43 hanc expeditionem factam memorat, „*ἐλθούσης δὲ τῆς ἀγγελίας ὁ Κλαύδιος τῷ συνάρχοντι, τά τε ἄλλα καὶ τούς τε στρατιώτας ἐνεχείρισεν αὐτὸς δὲ ἐξεστρατεύσατο.* Multo ante hanc expeditionem paratam esse intellegitur Dionis verbis: *εἴρητο (Κλαύδιος) γὰρ αὐτῷ (τῷ Πλαυτίῳ) εἴ τι βιαιότερον γίγνοιτο τοῦτο ποιῆσαι (μεταπέμπεσθαι τὸν Κλαύδιον) καὶ παρασκευή γε ἐπὶ τῇ στρατείᾳ πολλὴ τῶν τε ἄλλων καὶ ἐλεφάντων προσυνείλεκτο.*

Ad Helviam matrem de consolatione.

(Dialogus XII.)

Hic quoque dialogus in exilio scriptus est. Quod non statim post adventum in Corsicam Seneca periculum matrem de exilio fili carissimi consolandi subiit prodit verbis primi capitis „saepe jam ... impetum cepi consolandi te saepe continui ... dolori tuo dum recens saeviret sciebam occurrendum non esse .. exspectabam itaque dum ipse vires suas frangeret.“

Praeterea linguam incolarum insulae observaverat, quod apparet ex 7, 9. verbis „Transierunt deinde Ligures in eam, transierunt et Hispani, qnod ex similitudine ritus apparet: eadem enim tegmenta capitum, idemque genus calceamenti, quod Cantabris est et verba quaedam.“ Verba quaedam dialecto immixta non statim ab advena sed pedetemptim ab incola animadverti possunt. Certus annus definiri non potest, quo hic dialogus scriptus sit, quem Senecam anno 42 aut 43 composuisse suspicor. —

Ad Paulinum de brevitate vitae

(Dialogus X.)

Hujus dialogi tempus Lehmannus recte statuit. 13. 8. „Avertinum montem extra pomoerium esse“ narrat Seneca. Tacitus sub anno 49 (XII. 23.) ad notat „et pomoerium urbis auxit Caesar more prisco.“ (cf. Gell. N. A. XIII. 14. 4. 7. „Aventinum antea .. extra pomoerium exclusum post auctore divo Claudio receptum.“)

Cum Seneca nullo verbo se in exilio esse prodat statim post ejus Romam reditum eum hunc dialogum composuisse putabimus.

Dialogum VI.

qui inscriptus est „De Consolatione ad Marciam", Lehmannus scriptum fuisse contendit anno quadragesimo primo p. C. n. ante Senecae exilium. Id quod falsum puto.

Ipsum igitur dialogum adeamus, quem Romae scriptum esse luce clarius est cf. caput 16, 2: „In qua istud urbe, di boni, loquimur? in qua regem Romanis capitibus Lucretia et Brutus dejecerunt."

Legimus initio cap. 10 „quicquid est hoc, Marcia, quod circa nos ex adventicio fulget, liberti, honores, opes, ampla atria et exclusorum clientium referta vestibula, clara nobilis aut formosa conjux, ceteraque ex incerta et mobili sorte pendentia alieni commodatique apparatus sunt."

Quibus in verbis cum Lehmanno facio, qui non sine causa ea a Seneca scripta putat, sed ita, ut ejus res illustrarent. Loquitur igitur (ceteris omissis, satis jam supra de Senecae divitiis locuti sumus; videas autem, quam mire haec cum Suilli accusatione quadrent.) de uxore Seneca.

Seneca uxorem duxerat,[4]) cujus nomen ignoramus, hanc

4) Epist. 50. 2. „uxoris meae fatuam scis hereditarium onus in domo mea remansisse" et Dial. V. 36. 3. „Cum sublatum e conspectu lumen est et conticuit uxor moris mei jam conscia e. q. s." e quibus verbis concludo haec: et, cum Seneca hunc locum scripserit, vixisse priorem uxorem, et, cum (ut in textu demonstrare conatus sum) haec uxor ante mariti exilium mortua sit, de ira libros ante hoc exilium scriptos esse.

ante mariti exilium mortuam esse verisimile est, quia Seneca in consolatione ad Helviam matrem (Dial. XII.) nullo verbo ejus tunc etiam vivae mentionem fecit sed filium suum viginti dies ante patrem exulatum mortuum esse narrat in manibus Helviae aviae.

Alteram deinde uxorem duxit Seneca, cujus nomen Paulinam ipse tradidit. (cf. Tac. XV. 60. „ipsi cum Pompeja Paulina") Quo anno Seneca hanc uxorem duxerit nescitur,[5]) sed optime sumamus, eum non nisi post exilium Paulinam uxorem duxisse, quia aliter inter exili terrores enarratos, certe hunc non omisisset separatum se esse ab uxore amata.

Qui autem Senecam l. l. VI. 10, 1. de suis rebus locutum esse putat, laudes „clara nobilis aut formosa conjux" non priori uxori sed Paulinae attributas esse facile concedet, perpensis et blanditiis, quibus Seneca epist. 104. de illa egit, magnum uxoris amorem ostendentibus et Dionis verbis: *ἐπιφανέστατον γάμον.*

Ex antecedentibus igitur hunc dialogum post Senecae exilium compositum esse sequitur.

Negat quidem Lehmannus post exilium componi potuisse, sed causae, quas affert, demonstrandi vi carent. Dicit enim (Philol. VIII. p. 312.) „Verisimile non esse Senecam post exilium hunc dialogum scripsisse, quia initio

---

Quae Dial. XII. 18. 6. „mater" appellatur Senecae uxorem fuisse non puto, quia si „Marcus blandissimus puer" filius Senecae fuisset hoc certe altero filio modo mortuo (Dial. XII. 2. 5.) rhetorice exornasset.

5) Anno certe 57 uxorem eam jam habuit; cf. Dionis c. 10. l. LXI, qui sub hoc anno inter alias in Senecam contumelias ingestas ταῦτα inquit *δηλοῖ τάς τε ἀσελγείας ἃς πράττων γάμον τε ἐπιφανέστατον ἔγημε καὶ μειρακίοις ἐξώροις ἔχαιρε. κ. τ. λ.*

Claudi imperi exulatus et octo annos post revocatus principis educator factus sit.“ — Nemo autem intelleget, quidni Seneca Neronis educator consolationem scribere potuisset. Rectissime Lehmannus hunc dialogum a Seneca in exilio compositum esse non posse contendit, sed causae, quas affert leves sunt. Dicit enim, hanc cum consolationem in exilio aut post exilium scripsisset in aliorum detrimentis enarrandis sua quoque enarrasse putandus esset. (Philol. p. 312. De Calig. et Ner. p. 10.) Quod non probabimus ipsis auctoris verbis initio cap. alterius collatis: „Scio a praeceptis incipere omnes, qui monere aliquem volunt et in exemplis desinere. Mutari hunc interim morem expedit“; neque tamen omnino exempla enumerare omittit sed „duo tibi ponam ante oculos exempla“ persequitur, Octaviae et Liviae mentionem faciens, quae utraque filium amiserat. Neque tale exemplum hoc loco laudatum esse vituperabimus, sed exilium deplorare eo loco, quo matrem de fili morte consolari vult auctor ridiculum fuisset, neque qui sororem et uxorem Augusti fortiter dolorem, in amissis filiis captum, tolerasse narravit, adicere potuit se quoque filium amisisse neque immodice lugere. —

Seneca „tertius“ inquit „jam praeteriit annus, cum interim nihil ex primo illo impetu cecidit.“ (VI. 17.) Metilius (16. 8.) igitur Marciae filius tres annos ante mortuus est, quam Seneca hanc consolationem scripsit. Cur tam diu post mortem fili Marciam consolari conatus est philosophus? Ipse obiter adumbrat se impeditum fuisse, quominus statim post Metili mortem periculum consolandae matris subiisset verbis (VI. 1. 8.): „cupissem itaque primis temporibus ad istam curationem accedere.“ Nescio qua re Seneca impeditus fuerit, neque ex hac cunctatione quidquam de tempore hujus dialogi concludi posse puto. Lehmannus

quidem (de Claud. et Nor. p. 9.) conjungit quod Caligula scripta Cremuti Cordi, Marciae patris, „esse in manibus lectitarique permisit“ (Suet. Cal. 16.) et quod, cum Seneca dialogum sextum scripserit, Metilius tres annos mortuus erat, ita, ut hunc dialogum quarto anno imperi Caligulae aut propter hujus imperatoris in Senecam invidiam inter Claudi imperi initium et Senecae exilium compositum esse contendat. Quae res nullo modo conjungi possunt.

Apud Senecam enim sententiarum connexus hic est; et in morte patris scriptis ejus servatis et in morte fili, qui ante tres annos mortuus est fortem te praebuisti. Quomodo quis ex his, scripta patris eodem fere tempore lectitari permissa esse, quo Metilius mortuus sit, colligere possit non intellego, quamquam Lehmannus hic causae cardinem ponit.

Ego igitur hunc dialogum a Seneca ex exilio regresso compositum esse puto.

Ad Serenum: nec injuriam nec contumeliam accipere sapientem

sive

De Constantia Sapientis.

(Dial. II.)

Facile, quem ad finem alter dialogus compositus sit perspicitur. Seneca semet ipsum defendere conatur; contra quid?

De hac quaestione magnopere a Lehmanno dissentio, qui postquam in Philologo vol. VIII hunc dialogum anno 49 compositum esse contendit, (laudatis cap. 14. prioribus duabus paragraphis) postea in libro de Claud. et Ner. ad annum 58 rettulisse videtur[6]) laudato eodem loco.

Inspiciamus verba: „Tanta quosdam dementia tenet, ut sibi contumeliam fieri putent posse a muliere, quid refert quam habeant, quot lecticarios habentem, quam oneratas aures quam laxam sellam . . .“ pergit scriptor quosdam a cinerario, ostiario, nomenclatore, cubiculario injurias sibi adlatas moleste ferre; tum quaerit, „quid ergo sapiens non accedet ad fores, quas durus janitor obsidet? Ille vero“ e. q. s.

Equidem libenter concedo me non intellexisse, cur haec

6) Dialogo enim septimo in anno 58 posito p. 14 sic pergit „Etwa derselben Zeit glauben wir auch diese Schrift zuweisen zu müssen.

(ut Lehmannus voluit, cf. philol. VIII. p. 316) ad Senecae vitam referrentur, neque quomodo neque de qua re se excusare studuerit philiosophus ex verbis alterius paragraphi colligere possum.

Mea quoque s. Seneca criminationem sibi illatam repellere vult, quod ego quoque ut Lehmannus anno 58 eum conatum esse puto, sed prorsus aliis causis motus sum.

Notissima res est, Senecam anno 58 a P. Snillio accusatum esse. Tacitus addit enumeratis Suilli in Senecam criminationibus: „nec deerant, qui haec isdem verbis aut versa in deterius Senecae deferrent.“ (XIII. 43.) Nunc quaeso cf. quam bene cum his accusationibus, quibus tangi non posse sapientem Seneca demonstrare vult, verba ultimi hujus dialogi capitis congruunt: „Non est in rixam colluctationemque veniendum; procul auferendi pedes sunt et quicquid horum ab imprudentibus fiet (fieri autem nisi ab imprudentibus non potest) neglegendum et honores injuriaeque volgi in promiscuo habendae nec his dolendum, nec illis gaudendum alioquin multa timore contumeliarum aut taedio necessaria omittemus publicisque et privatis officiis ... §. 3: quo quisque honestior genere fama patrimonio est, hoc se fortius gerat, memor in prima acie altos ordines stare contumelias et verba probrosa et ignominias et cetera dehonestamenta velut clamorem hostium ferat“. — Haec optime ab illo dicta esse puto, qui ad acerrimas Suilli accusationes ne uno quidem verbo responderat, et cum ei hoc ab amicis crimini datum esset se defendere voluit demonstrando sapientem nec injuriam nec contumeliam accipere. Scriptum igitur dialogum alterum puto fine anni 58.

Ad Gallionem de vita beata.

(Dial. VII.)

E titulo statim et ex allocutione „Gallio frater“ appa-ret, post Novati adoptationem hunc librum scriptum esse. Titulus non cum toto scripto convenit, sed cum sola priore parte. Qua parte Seneca, quid sit beate vivere exponit usque ad caput sextum decimum, quo totam demontrationem sic finit: „ergo in virtute posita est vera felicitas“. Sequitur altera pars mutila in fine, qua se ab opprobriis adversariorum defendit, qui „aliter loqueris aliter vivis“ ei obstrepuerunt. Qua ex parte facillime tempus, quo dialogus compositus sit, statuemus.

Initio cap. 17. leguntur opprobria, quibus adversarios in se impetum facientes fingit philosophus, quae omnes fere ad id unum spectant philosophum, qui se vitae bona negligere dixisset, maximis tamen divitiis et fructum esse et frui, quod philosophum vel sapientem non decere. Quod Seneca contra has accusationes mira ratione sese defendere studet, ut, et sapientem se non esse (17. 3.) et philosophum meliore modo divitiis uti quam voluptatum consectatores, contendat nunc omitto quaerens, qui fuerint Senecae obtrectatores? Neque mihi dubium est, quin Seneca a Suillio accusatus non modo aliorum ut Sereni indignationem moverit, sed etiam a fratre interrogatus sit, quidni sese defendisset. Miro enim modo nonnulla ex Suilli et ex ea, quam apud Dionem (LXI. 10.) legimus, accusatione cum Senecae verbis cap. 17 congruunt.

Sic: „cur non ad praescriptum tuum coenas? cur tibi nitidior supellex est (§. 2.)“ cum: *καὶ τὰς πολυτελείας τῶν ἄλλων αἰτιώμενος πεντακοσίους τρίποδας κιτρίνου ξύλου ἐλεφαντόποδας ἴσους καὶ ὁμοίους εἶχε, καὶ ἐπ' αὐτῶν εἱστία.* Verba: adice si vis cur trans mare possides, cur plura quam nosti?“ comparari possunt cum Dionis loco LXI. 10. supra (p. 13.) citato et cum Taciti verbis: „Italiam et provincias immenso faenore hauriri“.

Neque posteriore tempore, cum Seneca iterum anno 62 ob „ingentes et privatum modum evectas opes (Tac. XIV. 52.) accusaretur haec scripta esse possunt, quia eo anno Seneca „prioris potentiae instituta „commutans nullo modo sic confidenter de divitiis loqui potuit, ut fine cap. 22. diceret: „Mihi divitiae si effluxerint nihil auferent nisi semetipsas, tu stupebis et videberis tibi sine te relictus si illae a te recesserint. Apud me divitiae aliquem locum habent, apud te summum ac postremum; divitiae meae sunt, tu divitiarum es“. Qua ex verborum nube apparet, Senecam se divitias amplas possidere fateri. Itaque hunc quoque dialogum anno 58 a Seneca compositum esse puto.

Ad Serenum de tranquillitate animi.

(Dial. IX.)

Primo hujus dialogi capite Seneca Serenum contra animi fluctuationem, qua modo elatus modo demissus esset auxilium petentem inducit, neque cum Lehmanno (de Claud. et Ner. p. 11) putandum est Senecam in his querelis de se ipso sensisse, qui in sequentibus capp. longe firmiorem animum gloriatur quam qui hac fluctuatione laboret. Verba §. 10 „honores fascesque“ igitur non ad Senecae praeturam referenda, sed in universum pro „auctoritate frui“ dicta esse puto. Qua si fruitur Serenus „promptus compositusque“ sequitur philosophos suos, rebus adversis autem („ubi aliquid animam insolitam arietari percussit“) veloci cursu ad otium convertitur (§. 11.), sed „ubi lectio fortior erexit animum“ agilem denuo sese praestat. Seneca animi ejus infirmitatem sanare studens ostendit verum in medio esse, et praetorem et philosophiae praeceptorem alios docendo juvare contendens. „Longe itaque optimum est miscere otium rebus, quotiens actuosa vita impedimentis fortuitis aut civitatis conditione perhibebitur, numquam enim usque eo interclusa sunt omnia ut nulli actioni locus honestae sit“; neque citissime fugiendum temporibus adversis factis sed sensim relato gradu et „delectu“ inveniendum esse „aliquid in quo virtutis studiosus utilis civitati sit“; operam enim civis boni civitati numquam inutilem esse.

Hic fere sensus totius demonstrationis, qua Serenum

animi tranquillitatem docere vult. Qua in demontratione id unum animadvertendum esse mihi videtur, cum cetera omnia in universum dicta sint, quod nullo hujus scripti loco Senecam se ipsum nominat aut potius denotat, nisi quod nonnumquam fieri concedit, quod quis dignitate aut ordine insignis locum ampliorem cum studiis commutat; numquam autem hunc locum prorsus deserendum esse contendit. Et observatione dignam puto sententiam (4. 2.) „cum delectu inveniat aliquid, in quo utilis civitati sit;“ non dicit: in quo utilis philosophiae sive litteris sed „civitati“ sit.

Certis ad tempus, quo compositus sit, hujus dialogi definiendum ansis careo sed sententia mea est haec: cum tota argumentatione Seneca demonstrare voluisse videatur, illum vituperandum non esse, qui publicis officiis functus otium rebus misceret quia numquam inutilis esset civis boni opera, qui alios docendo civitatem juvaret („si a prima te rei publ. parte fortuna submoverit stes tamen et clamore juves et si quis fauces oppresserit stes tamen et silentio juves“) Senecam non „statim post reditum ex exilio“ (Lehm. de Claud. et Ner. 10) hunc dialogum scripsisse putarim, sed eo fere tempore, quo non jam „in prima rei publ. parte“ stetit, quo instituta prioris potentiae commutavit, i. e circa annnm 62.

Ad Lucilium de providentia.

(Dial. I.)

Lehmanno, hunc dialogum anno 62 scriptum esse putanti, cum Seneca consuetudine Demetri Cynici utatur amici Paeti Thraseae et eximia veneratione Catonem colat, certum factum nullo loco memorans, nihil habeo quod opponam.

Ad Serenum de otio.

(Dial. VIII.)

Supra demonstrare conatus sum (p. 18) Senecam non statim post colloquium anno 62 cum Nerone habitum ab aula imperatoria recessisse sed, specie amicitiae cum imperatore servata, Romae mansisse. Anno tamen 64 „ficta valetudine quasi aeger nervis cubiculum non egressus est". (cf. Tac. XV. 45.) Hoc anno hunc dialogum compositum duco.

Ex verbis priorum capp. apparet Senecam senem esse, desiisse publicis officiis operam dare, Epicuri sententiam sequi: „non accedet ad rem p. sapiens nisi si quid intervenerit". Cujus sententiae causam late patere persequitur et inter causas, quas enumerat adfert etiam, sapientem non accessurum esse ad rem p. „si valetudo illum inpediet". Sed etiam alia re impeditur sapiens, quominus rebus pp. fungatur, „corruptior est res publica quam ut adjuvari possit". Videas quam optime haec congruunt cum rebus a Nerone anno 64 gestis, quas Tacitus XV. 33—45. tradidit.

Hunc dialogum ultimum Senecae scriptorum nonnullis fortasse epistulis exceptis fuisse puto.

Lehmannus, qui cum ceteris vv. dd. Senecam statim post notissimas illas orationes Roma rescessisse putat, quod omni verisimilitate caret, hunc dialogum in anno 62 posuit.

Saturam cujus titulus est.

„Divi Claudi *ἀπολοκύντωσις*“ statim post Claudi mortem Senecam composuisse nuper demonstravit Franciscus Buecheler in Symbb. philoll. Bonn. p. 33 sqq.

Crudeli Claudio mortuo puer imperator factus est, quem ut a crudelitatis vitio absterreret magister

De Clementia

libros duo composuit. Seneca ipse tempus significat verbis c. 9 §. 2 prioris libri: „Cum hic aetatis esset, (divus Augustus) quod tu nunc es duodevicesimum egressus annum“. — Nero natus est ante diem duodevicesimum Kal. Januar. anni 38; (cf. Suet. Nero. 6,) duodevicesimum annum igitur egressus est non ante diem septimum decimum Kal. Jan. anni 56. Putamus igitur Senecam hos ll. composuisse anni 56 initio. Rectissime enim Lehmannus post caedem Britannici tantis laudibus Neronis clementiam Senecam extulisse putandum non esse adnotat.[7])

---

7) Britannicus natus est pridie Idus Febr. anni 41 (cf. Lehmanni de Claud. et Ner. additamentum post pag. 122) mortuus est „festis Saturno diebus (Tac. XIII. 15) anni 55. Saturno festa celebrabantur a die sexto decimo usque ad diem decimum ante Kal. Jan. (cf. Prelleri Mythol. Rom. p. '413 sqq.) Taciti igitur verba „quo quartum decimum aetatis annum Britannicus expleret“ accurata non sunt.

De Beneficiis libri septem.

Quo anno hi libri compositi sint incertissimum est. Probo tamen Lehmanni sententiam anno 58 eos scriptos esse contendentis. Causis quibus hoc demonstrari putat, Senecam scilicet tribus locis (I. 9, 4; 10, 2; III. 16, 2) ad Neronis Poppaeae Sabinae amorem ardentissimum sese referre aliam adici liceat.

Loco enim IV. 21, 5: „Immo amplius adiciam: est aliquando gratus etiam, qui ingratus videtur, quem mala interpres opinio in contrarium tradidit. Hic quid aliud sequitur quam ipsam conscientiam? quae etiam obruta delectat, quae concioni ac famae reclamat et in se omnia reponit, et cum ingentem ex altera parte turbam contra sentientium adspexit, non numerat suffragia, sed una sententia vincit. Si vero bonam fidem perfidiae suppliciis affici videt, non descendit e fastigio, sed supra poenam suam constitit.“ et VI. 8. 4: „Adversarius meus, dum contraria dicit et judicem superbia offendit et in unum testem rem demittit, causam meam erexit, non quaero an pro me erraverit: contra me voluit“ auctorem ad Suilli accusationem respicere puto.

Ne quis miretur me saepius in statuendis Senecae operum annis tantam vim huic accusationi tribuisse, in memoriam reduci fortasse operae pretium est, hac accusatione Senecam usque ad id tempus praepotentissimum primum ab hoste petitum locum suum stabilem non jam esse intellexisse, quo vehementer animo eum motum fuisse credemus.

Naturalium Quaestionum libri septem.

Horum librorum ut tempus statuamus a Seneca ipso certam accipimus ansam.

Loquitur enim initio libri sexti de terrae motu quo Campania vastata est. Hunc motum fuisse dicit Nonis Februariis Regulo et Verginio coss. i. e. anno 63.[8]) Constat igitur post Nonas Februar. anni 63 hunc librum a Seneca compositum esse. Sed ni magnopere fallor, terminus quoque post quem liber sextus septimusque compositi esse non potuerunt demonstrari postest.

Libro enim septimo Seneca de cometis loquitur. Dicit 17, 2: cometes, „qui sub Nerone Caesare adparuit et cometis detraxit infamiam.“ Statim deinde cap. 21, 3 Romanos hunc cometem per sex menses vidisse tradit. Tacitus et anno sexagesimo (XIV. 22) et anni sexagesimi quarti fine (XV. 47) cometes visos esse narrat.

Seneca de comete, quem ipse viderat, dicit: „cometis detraxit infamiam“, — quae verba facillime explicantur et Taciti et Suetoni verbis. Tacitus cap. 22 l. XIV. haec habet: „Inter quae et sidus cometes effulsit, de quo volgi opinio est tamquam mutationem regis portendat, igitur quasi jam depulso Nerone quisnam deligeretur anquirebant.“ —

---

8) Tacitus quidem hunc terrae motum sub fine anni 62 adnotavit. (XV. 22.) Senecae tamen hujus casus aequali majorem fidem habeo. Fortasse Merivalius jure suo hanc discrepationem inde ortam esse, quod motus anni 62 fine inceperint anno 63 finiverint putat (l. l. VII. 307.).

Suetonius in Neronis vitae cap. 36 „Stella crinita“ inquit „quae summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur per continuas noctes oriri coeperat“ (cf. Senecae verba VII. 21. 3 sex enim mensibus ... spectandum se praebuit.)

Cometes igitur ceteris eo detraxit infamiam, quod spem Romanorum fore ut Nero moreretur fefellit. Quia autem Seneca, cui cometes tractanti ante omnia id agendum erat, ut si potuit a se ipso visos memoraret, non nisi de hoc uno anni sexagesimi comete loquitur pro certo contendere poterimus, eum librum septimum ante cometem, qui fine anni sexagesimi quarti apparuit, scripsisse.

Sed etiam diligentius tempus, post quod hi ultimi libri scribi non poterant, statuere possumus. Incepit enim ante diem quartum et decimum Kal. Sextiles „clades omnium, quae huic urbi per violentiam ignium acciderant, gravior atque atrocior.“ Nusquam a Seneca hoc incendium memoratum est, quae tamen memoratio locis nonnullis aptissima fuisset.

Sic VI. 2 nihil de hac clade dicitur neque in ejusdem libri cap. nono „Hoc apud nos quoque videmus accidere quotiens incendio laborat pars civitatis“ e. q. s. ad summam illam cladem referri putamus.

Obtendet fortasse aliquis mihi; num tu locum cap. tricesimi alterius neglexisti, quo disertis verbis dicitur: „Anima in expedito est habenda sive illam insidiae sive morbi petent .. sive vasta vis ignium urbes agrosque pari clade complexa.“

Quem locum ad Romae incendium spectare nego, aptissime enim haec verba ad Lucilium scripta ad „Lugdunensem coloniam exustam“ referri possunt, quam Liberalem lugere Seneca in epist. 91, eidem Lucilio missa, de qua in-

fra disputandum erit, narravit. Totum hoc caput (VI. 32) fere ejusdem sententiae atque illa epistula est, quam sententiam his verbis complecti possumus: „Anima in expedito est habenda“ (VI. 32, 5.) et „Ideo nihil nobis inprovisum esse debet“ (ep. 91. 4.).

Ex illis, quae diximus, ante mensem Julium anni sexagesimi quarti libros duo posteriores scriptos fuisse sequitur; anno autem 63 compositos esse inde colligo, quod Seneca terrae motum, de quo supra locuti sumus, ter ita memorat, ut non multum temporis inter motum ejusque commemorationem interfuisse statim intellegatur; cf. libri VI. cap. 12, 2 verba: „Nunc quoque cum hic motus in Campania fuit, quamvis hiberno tempore et inquieto.“ cap. 27, 1: „Quaedam tamen propie in hoc Campaniae motu accidisse narrantur.“ cap. 1, 13 „vis .. quae nunc Campaniam laesit.“

Oritur quaestio utrum quinque priores libri eodem anno scripti sint. Certis ansis ad tempus statuendum caremus, quamobrem Lehmannus in Philologi vol. laudato (p. 326.) primum, tertium, quartum librum praefationibus incipientes tribus temporibus editos, postea (de Claud. et Ner. p. 16) sententia mutata tres priores anno 62, quattuor posteriores anno 63 editos esse contendit. Cum libri tum praefationes evidenter produnt, Senecam senem esse neque publico munere fungi. Conferenda est inprimis prima et altera paragraphus terti libri praefationis: „non praeterit me .. quam magnarum rerum fundamenta ponam senex, qui mundum circuire constitui .. quando tam multa consequar, tam sparsa colligam, tam occulta perspiciam. Premat ergo senectus et obiciat annos inter vana studia consumptos, tanto magis urgeamus et damna aetatis male exemptae labor sarciat, nox ad diem accedat, occupationes recidantur, patrimonii longe a domino

jacentis cura solvatur" e. q. s. quibus verbis collatis cum Taciti cap. 56 l. XIV. „Seneca .. instituta prioris potentiae commutat, prohibet coetus salutantium, rarus per urbem, quasi valetudine infensa aut sapientiae studiis domi adtineretur" mihi concedes verisimillimum esse Senecam conditione mutata hos quinque priores libros non ante annum 62 scripsisse, quamobrem septem quaestionum naturalium libros ab anno 62 usque ad mensem Sextilem anni 63 scriptos esse conicio.

Epistularum moralium libri. XX.[9])

Totum, quod adhuc exstat, epistularum moralium corpus perlegenti primum statim apparet has „epistulas“ re vera fuisse litteras a Seneca Romae aut rure vitam agente ad Lucilium Siciliae primum procuratorem, deinde in hac insula incolam, missas. Saepissime Seneca de epistulis loquens ad eadem scripta sese refert, quae nos quoque sic appellamus, saepe se ad Lucili epp. responsurum esse narrat; nonnumquam eodem scripto et ad suas et ad Lucili, quibus respondet, litteras sese referens de „epistulis“ loquitur.

Deinde apparet, priores viginti novem epp. (libros I—III.) a posterioribus nonaginta quinque eo diversas esse, quod priores parvis, posteriores magnis saepe intervallis scriptae sunt. In prioribus viginti novem epp. (exceptis 1; 3; 9) „diurnam mercedulam (6, 7) munusculum (10, 5) portorium (28, 9)“ a Lucilio petita et „debet“ Seneca et solvit. Inde subito nullas „merces, stipes“ cett. addit.

9) Gellius N. A. XII. 2. 3. locum ex libro vicesimo secundo Senecae epistularum moralium „quas ad Lucilium composuit“ laudat. Libri viginti quos nunc habemus 124 continent epistulas, si libri duo, qui non servati sunt eadem ratione fuerunt atque antecedentes, et vicesimus alter ultimus harum epp. liber fuit, centum triginta sex usque ad septem omnino epistulas morales Senecae fuisse concido.

Lucilium hoc postea questum fuisse intellegimus Senecae verbis (33, 1): „desideras his quoque sicut prioribus adscribi aliquas voces nostrorum procerum“. Quas „stipes“ cur omiserit Seneca causam addit dicens „ejusmodi vocibus referta sunt carmina, refertae historiae, itaque nolo illas Epicuri existimes esse; publicae sunt et maximae nostrae. Sed illo magis adnotantur, quia rarae interim interveniunt, quia insperatae, quia mirum est, fortiter aliquid dici ab homine mollitiam professo .. non est ergo, quod exigas excerpta et repetita“.

Quamquam libenter concedam, Senecae verba velut (6, 7) „interim quoniam diurnam tibi mercedulam debeo“ non ita urgenda esse, veluti se diem ex die ad Lucilium litteras misisse dixisset, eas tamen sine magnis intervallis compositas esse ex epistulis ipsis apparet.

In posterioribus epp. saepius Lucilium questum esse legimus, quod rarissime tantum a praeceptore epistulas acciperet. cf. (omnia citare longum est) e. g. 38, 1 „Merito exigis, ut hoc inter nos epistularum commercium frequentemus“, 118, 1. Exigis a me frequentiores epistulas, rationes conferamus, solvendo non eris, „et inprimis 106, 1“ Tardius rescribo ad epistulas tuas non quia districtus occupationibus ... quid ergo fuit, quare non protinus rescriberem ei de quo quaerebas? veniebat in contextum operis mei. Scis me moralem philosophiam velle complecti et omnes ad eam pertinentis quaestiones explicare, itaque dubitavi, utrum differrem te an .. jus tibi extra ordinem dicerem, humanius visum est tam longe venientem non detinere.“

Illum, qui dubitavit, utrum interroganti de aliqua quaestione moralis philosophiae amico sine mora, quid de hac re sentiret, rescriberet, an librum, quem hanc quaestionem

tractantem inceperat, perficeret, illum dico alacrem in epistulis scribendis non habebimus.

Longa, ne dicam longissima, intervalla inter singulas epistulas amicorum non raro exstitisse ex locis, quos laudavi apparet. Cum accedat, quod Senecae, quas nos legimus, epistulas non omnes sunt quas ad Lucilium scripserat, quod porro alter alterius epistulas exspectare debuit ut ad eas respondere omnino posset, Seneca autem ab amico longo spatio divisus erat, quod ipse ita prodit (ep. 71. 1)[10]. „Subinde me de rebus singulis consulis, oblitus vasto nos mari dividi, cum magna pars consilii est in tempore, necesse est evenire ut de quibusdam rebus tunc ad te perferatur sententia mea cum jam contraria potior est", cum haec igitur ita sint, centum sex posteriores epistulas ad Lucilium a Seneca conscriptas esse duobus annis[11]) vel mensibus viginti (Lehmannus de Claud. et Ner. p. 17) nego. Statim autem tempus, ante quod pars harum epp. scripta esse non potest manifestum est.

Supra demonstrare conati sumus quattuor priores Natur. Quaest. libros scriptos fuisse anno 62. In quarti harum quaestionum libri praefatione Seneca haec dicit: „delectat te quemadmodum scribis, Lucili, virorum optime, Sicilia et procurationis otiosae officium, delectabitque si continere id intra fines suos volueris nec efficere imperium, quod

10) Verba primae §. ep. 50 „epistulam tuam accepi post multas menses, quam miseras" hoc loco laudare nolo infra de hac epist. locuturus.

11) Hoc enim quot vidi omnes vv. dd., praeter unum Bernhardyum contenderunt, qui annis 811 – 818 (58 – 65 p. C.) compositas illas putat.

est procuratio". Hoc e loco intellegitur etiam anno 62 Lucilium Siciliae procuratorem fuisse.

Epistulae Senecae dividi possunt in duas partes, quarum altera, usque ad duodeseptuagesimam ad Lucilium Siciliae procuratorem, altera ad Lucilium Siciliae non jam procuratorem scripta est. Hanc autem partem ab epistula undeseptuagesima incipi eo apparet, quod hac epistula Seneca Lucilium „loca mutare et quietem et prioris vitae oblivionem interrumpere" vetat.[12])

Inde sequitur epistulas undeseptuagesimam et sequentes compositas esse post locum Natur. Quaest. praef. IV libri, qui anno 62 scriptus est. Si rectum ordinem servavit epist. 70 statuendum est, cum de Pompejis (§. 1) quas ante Nonas Februar. anni 63 (Nat. Quaest. VI, 1, 1) motu terrarum consedisse narrat Seneca ita loquatur, ut nullo verbo significet se hanc urbem dirutam vidisse, et hanc epistulam ante Nonas Februar. anni 63 scriptam esse, et Lucilium fine anni 62 munus procurationis deposuisse. Quarum causarum nexum liceat ita complectar.

Anno 62 Lucilius Siciliae procurator est, cf. Natur. Quaest. IV. praef. 1;

Ante Nonas Februar. anni 63 Pompeji motu terrarum consederunt (Natur. Quaest. VI. 1. 2);

Epistula 70, 1 Pompejos memorans Seneca nihil de hoc motu dicit; inde sequitur hanc epistulam ante diem laudatum scriptam esse.

Hanc epistulam antecedit epist. 69 (quae igitur ante epistulam 70 scripta est) in qua Lucilium non jam procu-

12) Voces enim „prioris vitae" aliter mea q. s. explicari non possunt quam Senecam procurationem Lucili significasse.

ratorem esse Seneca prodit; Lucilius igitur fine anni 62 procurationis munus deposuit; Inde sequitur epistulas usque ad undeseptuagesimam ante finem anni 62 scriptas esse.[13])

13) Difficultates movet epist. 91, qua Bernhardyus motus fuisse videtur, ut epistulas annis 811—818 compositas esse contendat. Seneca „Liberalis" inquit „noster nunc tristis est, nuntiato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est." Narrat deinde §. 14." huic coloniae ab origine sua centesimus annus est... a Planco deducta in hanc frequentiam loci opportunitate convaluit". Plancum hanc coloniam anno 711 deduxisse refert Cass. Dio. (XLVI. 50.). Senecae igitur verba si fide digna sunt epistula 91 anno 811 scripta est.

Videamus, quomodo res sese habeat. Anno 62 p. C. n. urbes in Achaja et Macedonia motu terrarum dirutae sunt. (cf. Natur. Quaest. VI. 1. 13, qui locus anno 63 scriptus est.) Ad hoc Seneca sese rettulisse videtur verbis epist. 91, 9. „quotiens Asiae, quotiens Achajae urbes uno tremore ceciderunt?" Mirum est Senecam Pompejorum dirutorum nullam mentionem fecisse, nisi „frequenter nobis nuntiati sunt totarum urbium interitus" dicens de hoc casu sensit. Supra jam Romae incendium memoravi, quod medio anno 64 factum est. Ante hoc tempus epist. 91. scriptam esse colligo ex verbis alterius paragraphi „numquam denique tam infaustum ulli exarsit incendium ut nihil alteri superesset incendio", quo loco nihil de Romae incendio dicit, quod illum omisisse jure nostro miraremur, qui Romae incendio viso de simili casu alium certiorem facere voluit.

Puto igitur Senecam epistulam 91 ante Sextilem anni 64 et post Nonas Febr. anni 63 scripsisse. Quae enim Seneca ipse viderat (ut Macedonia, Achaja motu terrae vexata; talia.) pluris aestimo, quam quae hic scriptor in factis historicis neglegentissimus e temporibus diu elapsis commemorat. Levitatem ejus uno exemplo demonstrari libet. Dicit in prima §. ep. 91: „terrarum quoque vix umquam tam gravis et perniciosus fuit motus ut tota

Quod cum statuamus oportet nos epistularum ordinem incorruptum mansisse sumere. De hoc ordine conferenda sunt Haasi verba in praef. ad volumen tertium p. VI. „De ipsarum vero epistularum ordine non est cur dubitetur ego certe neque ubi de tempore epistularum sciri aliquid potest ordinem repugnare animadverti neque in codd. mss. turbati ordinis ulla certa indicia inveni nisi quod dubia mihi videtur sedes ep. 75 . . . Sed ab uno hoc et dubio exemplo si discesseris videntur mihi eodem ordine epp. nunc quoque legi, quo olim a Seneca scriptae sunt.“

Lehmannus (Philol. VIII. 328. De Claud. et Ner. 17) Fickertum (I. p. XII.) secutus nonnulla conturbata esse contendit. Movet ei difficultates epistula 14 quia ultima paragraphi quintae verba „cogita hoc loco carcerem et cruces et eculeos et uncum et adactum per medium hominem, qui per os emergeret, stipitem et distracta in diversum actis curribus membra, illam tunicam alimentis ignium et inlitam et textam, et quicquid aliud praeter haec commenta saevitia est,“ refert ad ludibria, quae anno 64 christianis addita Tacitus (XV. 44) tradit.

Quod falsum est; omisso enim talia a Nerone, si non commissa, tamen probata facinora neminem a Seneca memorata crediturum esse, haec epistula inter eas, quae ultimis Senecae annis compositae sunt numerari omnino non potest, quia (§. 17) „aurea stipe“ amicum philosophus „implet“ id quod, ut antea dixi, non nisi in prioribus viginti novem epistulis facit, deinde omittit, quod Lucilius, qui illo tempore etiam procurator fuit questus est. Epi-

---

oppida everteret“, et §. 9: „frequenter nobis nuntiati sunt totarum urbium interitus“.

stula 14 igitur nullo modo anno 64 scripta esse potest sed ordinem suam servavit.[14])

Ego de alia epistula dubito quae nemini adhuc, ni fallor, difficultates movit scil. de quinquagesima.

Quamquam nullum quidem factum hac epistula, quod cum ceteris non quadret, comperimus, tamen si haec verba Senecae legimus, Senecae, qui ep. 8 dixerat: „Secessi non tantum ab hominibus sed a rebus, et inprimis a rebus meis. posterorum negotium ago, illis aliquae quae possint prodesse conscribo ... rectum iter quod sero cognovi et lassus errando aliis monstro" magnopere mirabimur, quod hac epistula adulescentem se esse prodit, qui summa ope niti debet, ut vitia adulescentiae effugat. Audias illum loquentem §. 3: „Non est meum vitium quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitae, adulescentia haec facit, et §. 6: „Sed nec indurata despero nihil est, quod non expugnet pertinax opera et intenta ac diligens cura; robora in rectum quamvis flexa revocabis, illud, mi Lucili, non est, quod te impediat quominus de nobis bene speres quod malitia nos jam tenet." —

Neminem mihi oppositurum esse, Senecam hoc loco de aliis hominibus sentientem se ipsum quasi exemplum statuisse credo; totus hujus epistula sonus is est, quo Senecam non vitia sibi finxisse sed re vera vitia, quibus laboraret, questum fuisse jure arbitrareris. Accedit, ni fallor, alia causa, quamquam longe petita. Legimus in altera paragr. miram narratiunculam sic incipientem: „Harpasten uxoris

14) Paragrapho igitur citata Seneca nihil fecit nisi ut omnia, quae novit cruciatus genera aut ut ipse dicit „instrumenta doloris" enumeraret de certo quodam casu non cogitans.

meae fatuam scis hereditarium onus in domo mea remansisse.“ Statim intellegitur Senecam de priore uxore loqui, quam, ut supra dixi, ante viri exilium mortuam esse puto.

Hanc igitur epistulam si senex anno fere 62 composuit prior uxor viginti unum certe annos mortua erat. Mirum igitur fuisset, cum aliam uxorem duxisset, Senecam de defuncta priore loquentem, nullam vocem velut „mortuae“ vel „defunctae“ vel tale quid ante voces „uxoris meae“ immisisse. Quamquam enim per se intellegitur Senecam de defuncta uxore loqui, quia „hereditarium ejus onus“ memorat, eam tamen non simpliciter „uxorem meam“ nominare potuit, si, haec dicens, aliam uxorem habuit.

Libenter confiteor, me difficultates hasce non ita superasse, ut certum judicium de hac epistula facerem, quam a sene conscriptam esse nego. —

Verba, quae exscripsi m. q. s. non nisi statim post reditum ex exilio scripta esse possunt. Senecam enim quamquam eo tempore quinquagesimum fere quintum annum agebat, de „adulescentia“ sua verba facere non miror, quia notiones vocum „juvenis[15])“ et „vir“ semper voce „adulescens“ exprimit. cf. epist. 121, 16 ubi „alia est aetas infantis pueri adulescentis senis“ legitur. —

Quomodo factum sit, quod epistulam illius temporis in

---

15) Vox juvenis non nisi quattuor locis apud Senecam legitur, nempe in epist. 71, 19; 11, 3; 108, 27; 121, 16. Primo loco nullius momenti est utrum adulescentes an juvenes dicat, altero loco de adulescentibus sentiens voce juvenibus utitur. In tertio loco juvenes dicens de infantia agit; ultimo loco idem prorsus voce juvenis significat atque adulescens et non nisi varietatis causa hanc vocem usurpat.

volumine epistularum a Seneca sene scriptarum positam invenimus nescio; ultimis autem Senecae annis eam attribuendam esse jure meo negasse puto.

Falsum deinde ordinem quattuor epistularum esse puto.

74. 76. 118. 120.

Agitur quaestio in prima epistula 74 paragrapho utrum bonum sit, quod honestum. Hoc negasse videtur Lucilius („quidni tu, mi Lucili, maximum putas instrumentum beatae vitae hanc persuasionem unum bonum esse quod honestum est." et §. 22. „nihil agitis, quod negatis ullum esse aliud honesto bonum; non faciet vos haec munitio tutos a fortuna et immunes".) His amici dubitationibus respondet philosophus fine epistulae, ad quam voce „priori epistula" in epistula 76 (§. 7.) sese refert.[16])

Miratus sum cum primum has epistulas legeram Senecam notionem vocum „bonum et honestum" non definivisse, et epistulae 74 initium „epistula tua delectavit me et marcentem excitavit memoriam quoque meam, quae jam mihi segnis ac lenta est evocavit," alio jam loco hanc quaestionem boni honestique pertractatam fuisse prodere mihi visum est. Et, ni magnopere fallor, eum locum demonstrare poterimus. Se de re publica nihil scripturum sed de solis rebus philosophicis acturum esse Seneca epist. 118 affirmavit (§. 7).

„Omnes" inquit „autem male habet ignorantia veri. tamquam ad bona feruntur decepti rumoribus —; deinde mala esse aut inania aut minora quam speraverint adepti

16) Epistulam 75 falsissime insertam esse inter epp. 74 et 76 nemo est, quin videat. cf. Haasium. l. l.

ac multa passi vident, majorque pars miratur ex intervallo fallentia et volgo bona pro magnis sunt. Hoc ne nobis quoque eveniat, quaeramus, quid sit bonum."

Alios aliter ad hanc quaestionem respondentes errasse demonstrare Seneca conatur, illorum, qui sic explicaverint notionem (§. 9): „bonum est, quod ad se inpetum animi secundum naturam movet et ita demum petendum est, cum coepit esse expetendum" sententiam laudans. Quam sic et amplificat et fulcit verbis „jam et honestum est: hoc enim est perfecte petendum." deinde persequitur: „locus ipse me admonet, ut, quid intersit inter bonum honestumque, dicam; aliquid inter se mixtum habent et inseparabile: nec potest bonum esse nisi cui aliquid honesti inest, et honestum utique bonum est."

Hoc igitur loco notionum boni honestique definitionem accipimus. Hic novus quasi fuit campus ingeni virium exercendarum, neque Lucilius in arenam descendere cunctatus est, qui „quomodo ad nos boni honestique notitia pervenerit" quaesivit (ep. 120, 1) [17])

Ad amici quaestionem Seneca epist. 120 respondet, nonnumquam sese referens ad epist. 118 (cf. 120, 3 et 118, 10) per „analogiam" inquit „nostri intellectum et honestum et bonum judicant;" (§. 4) voce analogia ad alia tractanda inducitur.

Post longius quam solitum tempus litterae Lucili ad Senecam missae videntur, quibus iterum notionibus boni honestique in quaestionem vocatis Senecae memoria „segnis ac lenta" evocata est (epist. 74, 1).

---

17) Inter epistulas 118 et 120 inmissa est epist. 119 de continentia agens, quae aut hoc ordine non scripta aut ut epist. 118 a Seneca *„in antecessum"* data est.

Epistulis 118 et 120 Seneca notiones definivit, de quibus locutus est, quae cum „aliquid inter se mixtum habeant et inseparabile“ (epist. 118, 10) et „analogia“ quasi animi et corporis efficiantur non sine verisimilitate putabimus, Lucilium miratum fuisse hanc persuasionem: „maximum esse instrumentum beatae vitae“ (74. 1) qui fortasse illorum sententiam probaret, qui negando ullum esse aliud honesto bonum, Senecae quidem sententia, nihil egerunt (74, 22).

Verba epist. 118, 11 „locus me admonet, ut quid intersit inter bonum honestumque dicam“ et epist. 120, 3 „quod honestum est utique bonum“ ad verba epist. 74 referri non possunt, quia epistulis 118 et 120, ut demonstrare conatus sum, tota disputatio incipit, notionesque, de quibus epist. 74, velut de optime notis agitur, definiuntur. Epistularum igitur de bono honestoque agentium ordinem hunc fuisse puto ut se secuti sint epistulae

118. 120. 74. 76.[18])

Sed praeter has epistulas (50. 74. 76. 118. 120) totum corpus integrum ordinem servasse puto.

Oritur quaestio, quo tempore priores 68 epistulae scriptae sint. Quae quaestio m. q. s. decerni non postest.

Senecam illo quoque tempore cum amplo in aula im-

---

18) Per se intellegitur me non putare has quattuor epistulas aliis non inmissis, sine intermissione se sequentes compositas esse, sed hunc fere ordinem fuisse contenderim, ut se secuti sint epp. 73, 75, 118, (119?) 120, 77—117, 74, 76, 121—124.

Epistulae 75 locum procul ab epistulis 71—73 abfuisse non credo quia verbis (75, 9) „quod in quadam epistula scripsisse me memini: scire se nesciunt“ auctor sese rettulisse videtur ad epist. 71, 4. verba: „Quibusdam autem evenit ut quaedam scire se nesciant“. —

peratoria loco uteretur harum epistularum nonnullas composuisse apparet ex epistulis 7 et 8.

Etiam in fine igitur dissertationis hujus cum Lehmanno certamen mihi instituendum est, ex verbis epist. 8. 12 („Secessi non tantum ab hominibus“ sqq.) colligente Senecam a publicis officiis administrandis se recessisse narrare (Philol. VIII. 327). Hoc mordicus nego.

Cuivis statim apparet Senecam epist. octava ad Lucili epistulam quandam respondere, quae ad Senecae epistulam septimam referebatur, ex quo efficitur ordinem epistt. 7 et 8 turbatum non esse. Nunc legas, quaeso, verba epist. 7, 1 „Quid tibi vitandum praecipue existimem quaeris: turbam: nondum illi tuto committeris. Ego certe confitebor imbecillitatem meam; numquam mores, quos extuli refero ... (§. 3) quid me existimas dicere? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui. Casu in meridianum spectaculum incidi lusus exspectans e. q. s. cf. epist. 8, 6 „non videor tibi plus prodesse, quam cum .... in senatu candidato vocem et manum commodarem?“

Talia Seneca, munere suo deposito narrasse putandus non est, quamobrem verba laudata epist. 8, 2, non Senecam a re publ. rescessisse, sed magis, quam antea se litteris dedisse significare credo.

Ante finem anni 62 scriptae esse debent hae epistulae, quia paragrapho septima epist. 8 Seneca amico mercedulam debens, quia ei „aliquid pro hac epistula dependendum est“, Epicuri Lucilio sententiam quandam donat. Quod illum non nisi in prioribus viginti novem, Lucilio etiam procuratore i. e. ante finem anni 62, fecisse supra demonstravimus.

Quamquam igitur tempus harum epistularum certis fini-

bus circumscribere non potui, id fortasse demonstravi, contendentium duobus ultimis Senecae vitae annis has centum viginti quattuor epistulas conscriptas esse opinionem falsissimam esse, quas epistulas ego annis fere 60 — 65 p. C. n. Senecam scripsisse puto.

Senecae igitur scripta philosophica, quae exstant hoc ordine compositas esse puto:

Dial. III—V.	initio anni 41.
Dial. XI.	fine anni 41 aut initio anni 42.
Dial. XII.	anno 42 aut 43.
Epist. L.	anno 49.
Dial. X.	anno 49.
Dial. VI.	anno 49.
Ἀποκολοκύντωσις	Mense Octobri anni 54.
De Clementia ll.	initio anni 56.
De Beneficiis ll.	anno 58.
Dial. II.	anno 58.
Dial. VII.	anno 58.
Epistul. I—LXIX.	ab anno fere 60 — usque ad finem anni 62.
Dial. IX.	anno 62.
Dial. I.	anno 62.
Natur. Quaest. I—V.	anno 62.
Natur. Quaest. VI—VII.	usque ad Sextilem anni 63.
Dial. VIII.	anno 64.
Epistul. LXX—CXXIV.	a fine anni 62 usque ad annum 65.

Magnopere doleo, quod praeter menda nonnulla typographica, quae primo statim aspectu intelleguntur (e. g. vocum graecarum notae falsae et litterae transpositae,) corrigenda in textum irrepserunt haec:

pag. 6 l. 25 inimiei pro inimici.
– 6 l. 27 haee pro haec.
– 7 l. 33 commatis signum ante librum delendum est.
– 8 l. 28 Cuvium pro Cluvium.
– 10 l. 18 imperatoi pro imperatori.
– 10 l. 22 favenites pro faventes.
– 13 l. 2 *δονάσταις* pro *δυνάσταις*.
– 18 l. 3 praecellit pro praecellebat.
– 20 l. 3 deleto pro deleta.
– 21 l. 10 tribanus pro tribunus.
– 27 l. 16 putuit pro potuit.
– 34 l. 1 Nor. pro Ner.
– 40 l. 1 demontratione pro demonstratione.

Verlag von A. Mentzel in Altona.

De freske Sjemstin

me en hugstiüsk Auerseting.

Der Friesische Spiegel

mit einer hochdeutschen Uebersetzung

von

M. Nissen,

Küster und Lehrer in Stedesand.

1868. XXXII u. 377 S. 8. Preis: geh. 1 Thlr. 15 Sgr. geb. 1 Thlr. 25 Sgr.

Die Zeitschrift für Gymnasialwesen 7. u. 8. Heft schreibt darüber:

„Das Buch ist eine Sammlung von Gedichten und zwei prosaischen Stücken, die Hr. N. in reger Liebe zu seinem Dialekte verfaßt hat. Wir freuen uns, daß die Herausgabe ihm möglich geworden ist durch eine Unterstützung unserer Regierung, die auch in anderer Weise dem wackern friesischen Stamm für die Unbilden dänischer Herrschaft Ersatz zu geben sich angelegen sein läßt. Das Unternehmen des Hrn. N. verdient Theilnahme und Dank, da seit den friesischen Sprichwörtern, die 1851 im 8. Bande der Hauptschen Zeitschrift meist von der Insel Amrum mitgetheilt wurden, kaum etwas in friesischer Sprache erschienen ist. — Wenn für den Sprachforscher ein genaues Glossar, zu dem ein ausgezeichnetes Vorbild in Müllenhoffs Glossar zum Quickborn gegeben ist, oder ein vollständiges friesisches Idiotikon erwünschter wäre, so ist doch für nichtfriesische Leser bequem gesorgt durch Worterklärungen unter dem Texte und besonders durch die hochdeutsche Uebersetzung, die jedem friesischen Stücke folgt."

Wriezen. Oskar Jänicke.

Der Nordische „Courier" schreibt darüber:

„Dies Buch, das allen Freunden der friesischen Sprache auf's Wärmste empfohlen zu werden verdient, hat sich die Aufgabe gestellt, das mehr und mehr schwindende ursprüngliche Idiom der Friesen vor gänzlicher Ausrottung zu bewahren, und appellirt an die Patrioten Nordalbingiens, den mehr und mehr sich ausbreitenden fremden Sprachlauten einen Damm entgegen zu setzen, um wenigstens so viel als möglich das Terrain, das der reinen friesischen Sprache noch geblieben ist, behaupten zu können. Der Verfasser sagt u. A. in seinem Vorwort, nachdem er beklagt, daß die Sprache mehr und mehr beschränkt werde auf den heimischen Heerd: „Ausgestorben und in Büchern begraben liegt die Sprache der alten Wurster Friesen, der muthigen

Stedinger, Rustinger, Brockmänner, Raidländer, Kennemer und wie sie alle heißen mögen; verschwunden ist das Idiom des westlichen Dithmarschens, des alten Strandes, es sank mit seinen Bewohnern ins kühle Wassergrab; verstummt ist die friesische Zunge der Eiderstedter, es nagte der Zahn der Zeit die Sprache hinweg von dem schönsten Bissen Nordfrieslands; verklungen ist der schöne Mutterlaut in Angeln's Gefilden und zertreten ist er auf den düsteren Haiden und in den Forsten der nordischen Widinger; denn man schnappte und haschte nach einem fremden Laute."

Nordfriesland, Helgoland, Wangeroog, Saterland im Großherzogthum Oldenburg und Westfriesland sind noch einzig und allein die Districte, in denen sich die friesische Sprache erhalten in ihrer reinen, wohlklingenden Mundart, während sie früher die ganze Nord- und Ostseeküste von der Königsau bis über die Schelde hinaus beherrschte. Indem nun der Verfasser glaubt, der friesischen Sprache und der Hebung des friesischen Volks-Charakters dadurch zu nützen, daß er Producte aus denselben dem Volke bietet, verdient er sich gewiß die Anerkennung jedes Patrioten, wenn wir auch schwerlich uns der Ueberzeugung verschließen können, es gehe mit der friesischen Sprache rasch zu Ende, wie der namentlich rasche Verfall der letzten Decennien es nicht verkennen läßt. Eisenbahn, Industrie, Handel und Verkehr, der Fortschritt auf allen Gebieten sind die Feinde der früher in Abgeschiedenheit gehegten und gepflegten Ausdrucksweise; fremde, im öffentlichen Culturleben dominirende Sprachen verdrängen nach und nach mit so manchen Eigenthümlichkeiten der zum Weltverkehr herangezogenen Gegenden auch die Ursache ihrer Bewohner. Der Verfasser hat es übrigens verstanden, die eigentlichen Ausdrücke, Wendungen, sowie die Anschauungen des Lebens glücklich wiederzugeben, und ist der Versbau der Poesien lobenswerth und zeugt von großer Ausdauer und Fleiß in manchem wohlklingenden Gedichte. Das Buch zerfällt in fünf Abtheilungen (V Onfdilinger), und enthält die 1.: A Hüs (die Heimath), hauptsächlich patriotische Gedichte; Gods Hüs (Gottes Heimath), Gedichte voll inniger, naiver Religiosität; 3) Hög Songe auer Tele (Sagengedichte), eine vortreffliche Auswahl aus dem Sagenreichthum unserer nordischen Heimath; 4) Üsen Wisse (unsere Sitte), sehr interessante Beiträge zur Charakteristik friesischen Lebens; 4) Spröke, Sentensie, Gasele, Likknisse (Sprüche, Sentenzen, Ghaselen, Gleichnisse), recht sinnig geordnet. Näher auf den Inhalt des Buches einzugehen, erlaubt uns heute der Raum nicht, doch behalten wir uns vor, unsern Lesern nächstens eine Probe zu liefern; vorerst sei es ihnen noch einmal warm empfohlen."

Heinr. Joachim.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

DE

LUCII ANNAEI SENECAE

PHILOSOPHIA MORALI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA JENENSI

RITE PROPOSUIT

H. SIEDLER
ARTIUM LIBERARIUM MAGISTER.

GYNAECOPOLI
MDCCCLXXVII.

Ste
ner,
ſie
mar
kühl
es
Biſſ
geln
den
nach

thun
Diſt
woh
ſeekü
Jnd
bung
duct
kenn
verſc
wie
neu
auf
ten
domi
gentſ
Urſa
die
Leben
loben
wohll
Onkd
patri
ger,
eine
Heim
zur
Likk
geord
heute
ſtens
empfe

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

Admirabilis illa vis ingenii, qua veteres Graeci inter ceteros populos eminuerunt, cum in omni vitae instituendae ratione enituerit, tum vero in artibus litterisque excolendis eluxit. Erat enim Graecis hoc quasi munus divinitus assignatum, ut omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, non modo invenirent et inchoarent, sed etiam perficerent et consummarent. Et philosophiam quidem postquam ex abditis naturae recessibus elicuerunt, tam feliciter excoluerunt, ut in nonnullis hujus disciplinae partibus facem etiam nostrae aetati praeferant. Romani in re militari quidem, in legibus civilibusque institutis egregiam laudem assecuti sunt, in liberalibus autem artibus longe a Graecis superantur. Cicero quidem in prima Tusculana gloriosius quam verius judicat Romanos omnia aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent; idem tamen eodem loco haec addit: **doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat,** in quo erat facile vincere non repugnantes.[1]) Quoniam vero summum Romanorum studium in republica bene administranda erat positum, ad hoc ipsum

1) Cic. Tusc. disput. I, 1.

autem plurimum valet eloquentia, in hac excolenda arte Graecos aemulari eosque aequare prospero successu conati sunt. Quae cum et florente republica et eversa in judiciis atque in declamationibus publicis exerceretur, eloquens autem sine philosophia nemo esse possit, hanc Romani disciplinam negligendam non esse intelligebant. Neque enim, ut ait Cicero in Oratore, sine philosophorum disciplina genus et speciem cujusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes quisquam potest, nec judicare, quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Non solum autem Romani dialecticam eloquentiae causa colebant, sed etiam moralem philosophiae partem, quia eam optimam bene beateque vivendi disciplinam esse cognoverant.

Philosophiae studia cum apud Romanos diu neglecta jacuissent,[1]) tum primum excitata sunt, cum post bellum Persei mille Achaei, in quibus Polybius erat, in Italiam abducti Romae et multis aliis locis artes liberales tradere coepissent. Paulo post tamen senatus consulto philosophi et rhetores Italia excedere jussi sunt. Laetius illa studia renata sunt, cum clarissimi illi Graeci Carneades ex Academia, Critolaus Peripateticus, Diogenes Stoicus philosophi ab Athe-

1) Cic. Tusc. disput. IV, 3: Sapientiae studium vetus id quidem in nostris, sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis non reperio quos appellare possim nominatim. — Cf. Quintil. Inst. orat. X, 1, 123.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

nieusibus Romam missi essent. M. P. Cato Censorius metuens, ne juventus illorum disputationibus a veteris disciplinae severitate degeneraret et artes romanas negligeret, in senatu pervicit, ut legati graeci domum remitterentur. Is enim cum Carneadem disputantem audivisset, eo argumentante haud facile, quid veri esset, discerni posse declaraverat.[1]) Semina philosophiae per illos viros sparsa mox tota Italia propagata sunt. Carthagine autem et Corintho deletis cum ingentes Romam opes confluxissent, civiumque animi luxuria et otii affluentia depravarentur, multi ingenui et erectioris animi homines optimis artibus a Graecis traditis animos excolere studebant. Paulatim enim omnium fere disciplinarum philosophi e Graecia Romam commigraverunt et in summorum virorum P. Africani, C. Laelii, L. Furii, aliorum domibus sedem suam constituerunt. Posteriore tempore in usum venit, ut nobilissimus vel divitissimus quisque philosophum in contubernio aleret, plerumque non tam doctrinae causa, quam ut graecarum litterarum studium ostentaret. Duae autem potissimum philosophorum disciplinae, **stoica** et **epicurea**, a Romanis summo studio cultae sunt. Hi enim a contemplativis philosophiae studiis natura alieni magis ea decreta respiciebant et probabant, quae ad vitae usum et ad publicam utilitatem pertinebant. Et stoicam quidem disciplinam ingenio romano maxime accommo-

1) Cf. Gell. Noct. Att. XV. 11. Ciceronis de illis viris judicium vide de Orat. II. 37.

datam ii amplectebantur, qui antiquam morum gravitatem et sanctitatem majorumque instituta retinere aut rempublicam cum dignitate gerere studebant; ad Epicureorum sectam ii inclinabant, qui in voluptatibus fruendis summum bonum ponebant et a negotiis publicis remoti cultu delicatiore uti malebant.[1]) Accedebat quod in Epicureorum hortis non subtilia disciplinae decreta tradebantur, sed faciliora quaedam praecepta, quae ad vitae rationem spectarent. Ad quamcunque autem philosophiam Romani se applicabant, moralem potissimum partem summo studio tractabant adhibitoque culto oratorio et virtutes singulas explicabant et in vitiorum naturam inquirebant. Ad moralem philosophiam perditis illis temporibus, quibus impotenti Caesarum dominatione libertas civium oppressa erat, optimus quisque confugere, hanc sectari, in ea labentibus omnibus divinis humanisque rebus solatium ac salutem quaerere. Philosophi autem, qui Romae docebant, usque ad imperatorum tempora graeco semper sermone utebantur, quia illi fere omnes graecae erant originis et lingua latina ad philosophandum minus apta videbatur. Pauci quidem Romani latini sermonis indolem ad philosophiae notiones conformare studuerunt, sed majore id studio quam successu fecerunt. Universam philosophiam Graecorum Cicero latinarum litterarum luce sic illustravit, ut

1) De causis, quibus commoti tam multi Romae ad Epicureorum disciplinam se contulerint, vide Cic. Tusc. disput. IV, 3; de Fin. I, 7, 25.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

non perfectam quandam artis disciplinam conderet, sed praeclarissima quaeque et ad mores conformandos vitamque melius instituendam saluberrima sapientiae praecepta latino sermone explanaret. Qui cum omnium philosophorum disciplinas perscrutaretur, Platonis auctoritatem in iis potissimum secutus est, quae ad naturae cognitionem et ad animorum immortalitatem spectant; Stoicorum imprimis de morali doctrina decreta amplexus est eorumque praecipua placita cum civibus suis communicare studuit. Idem tamen interdum etiam Academicorum et Peripateticorum decreta assumsit, nam has tres disciplinas in morali philosophiae parte re consentire, nominibus discrepare judicabat. Quae autem Cicero e Stoicorum fontibus hausit, in iis prae ceteris Chrysippum auctorem videtur esse secutus. Quaedam tamen etiam Stoicorum decreta improbanda esse censebat, velut haec: omnes, qui non sint sapientes, aeque miseros esse; sapientes omnes beatissimos esse; recte facta omnia aequalia, omnia peccata esse paria.

Stoicae philosophiae studium post legatos graecos, de quibus supra diximus, primus Romae excitavit **Panaetius**, qui postquam Athenis clarissimos Stoicos audivit, aliquamdiu Romae familiaritate Scipionis Aemiliani et Laelii usus Athenis mortuus est. Hujus discipulus **Posidonius Apameensis** scholam magistri Rhodi relictam suscepit, tum legatus Romam ad Marium septimum consulem missus ibi multos annos Stoicae disciplinae praecepta tradidit; Sulla

mortuo Romam rediit, ubi Cicero eum audivit. Hujus aequalem **Diodotum** Cicero sibi adjunxit adeoque eum adamavit, ut viveret et habitaret cum eo; caecus factus in Ciceronis domo mortuus est. **Antipatrum Tyrium** Cato Uticensis domi secum habuit; idem **Athenodorum Cordylionem Tarsensem,** quem Pergameae bibliothecae praefectum noverat, secum Romam duxit et ad mortem usque domi suae habuit.

Eversa republica praecepta philosophiae primum publice Romae tradi coepta sunt. Ea autem tunc inciderant tempora, ut philosophia a subtili ratiocinatione revocata ad vitam communem transferretur et moralis potissimum ejus pars excoleretur. Non igitur mirum est, quod Stoica potissimum doctrina plurimos sectatores invenit. Primus Romae Julio Caesare adhuc vivente publice docuisse videtur **Q. Sextius,** qui novam sectam condidit. Hujus praecepta multa ad Pythagoreorum rationem prope accedunt, alia Stoicorum decretis simillima sunt, quare Sextius summis a Seneca laudibus effertur.[1]) Secuti sunt eum **Sextii filius, Sotion Alexandrinus, Cornelius Celsus, Papirius Fabianus,** alii. Difficile ad dijudicandum est, utrum Sextius Stoicorum an Pythagoreorum sectator fuerit. Insequenti tempore inter Stoicos **Athenodorus,** Sandonis filius, **Tarsensis** et **Arius Alexandrinus,** Augusti praeceptores, et **Attalus,** philosophiae professor publicus, commemorantur.

1) Ep. mor. VI, 7, 7, ed. Haase; Ep. mor. VII, 2, 2—3; De ira III, 36.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

Inter Stoicos, qui eo tempore vixerunt, quo ab antiquo deorum cultu ad christianam doctrinam paratus est transitus, **Lucius Annaeus Seneca Cordubensis** et propter singulares de divinis humanisque rebus sententias et propter saniora et rectiora, quae tradit morum praecepta, facile principem locum obtinet. Neque cuiquam ante illum aut illo mortuo philosopho contigit, ut ejus scripta pari studio vel ab aequalibus posterisque legerentur,[1]) vel eandem ad hominum mores conformandos vim exercerent. Atque cum morum praecepta Senecae haud raro ad christianam sentiendi rationem prope accedant, non mirum est, quod complures patres ecclesiastici magnis illum laudibus extollere non dubitaverunt.[2]) Utcunque est, hoc quidem jure licet affirmare, Senecae scripta omni tempore a doctissimis atque eruditissimis hominibus studiose lecta atque juventuti legenda esse commendata. Nonnulli quidem veterum scriptorum, ut Gellius et Quintilianus, de Senecae philosophia et dicendi genere iniquius judicaverant, posteriora tamen tempora justum ei pretium statuerunt. Senecae in quaque philosophiae parte hoc potissimum propositum erat, ut non modo animos hominum litterarum et artium cognitione imbueret, sed etiam ad virtutem et ad quandam dei similitudinem assequendam conformaret. Ejus autem praecepta philo-

1) Quint. Inst. orat. X, 1, 125—131. — Plin. Nat. hist. XIV, 4.
2) Tertullianus De anima c. 20, cf. Apolog. 12. — Lactant. Div. inst. V, 9; I, 5.

sophiae non ad accurate fundatam aut exstructam disciplinam revocata, neque quadam perpetuitate et constantia, sed variis locis sparsa sunt tradita. Sic autem ille sibi persuaserat, quidquid in superiorum philosophorum, imprimis Platonis et Epicuri placitis aut ad veritatem investigandam utile aut ad humanitatem virtutemque percipiendam aptum reperiretur, id pro certo ac probato ponendum esse et sumendum. Nihilominus censebat quemque philosophum certae cuidam scholae se addicere debere. Sic enim ait: ista praecepta, si sola sunt, marcent, infigi volunt sectae. Partes philosophiae a Platone constitutas etiam Stoici retinuerunt; hae partes sunt: logica sive dialectica, physica, ethica (rationalis, naturalis, moralis). In unaquaque parte Seneca elaboravit, praestantissimi autem atque pulcherrimi loci sunt de moralibus. Ut enim paulo altius repetamus, Seneca philosophiam dicit esse ducem ad assequendam sapientiam, artem summam; hanc sapientiam versari in virtute et cognoscenda et exercenda.[1]) Quod autem Cicero ait omnem auctoritatem philosophiae in beata vita comparanda consistere, eamque vitae ducem, virtutis indagatricem expultricemque vitiorum appellat, idem de ea Seneca praedicat.[2]) Quia igitur

1) Ep. mor. XV, 3: philosophia et contemplativa est et activa: spectat simul agitque.

2) Ep. mor. II, 4: animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum et per ancipitia fluctuantium dirigit cursum.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

moralem philosophiae partem ceteris potiorem ducebat, Stoicorum disciplinam amplexus est, ita tamen, ut profiteatur: suam si illam sectam dicat, non adligare se ad unum aliquem ex stoicis proceribus; esse et sibi censendi jus;[1]) atque alio loco:[2]) priores Stoicos non dominos suos esse, sed duces; patere omnibus veritatem; nondum esse occupatam, multum ex illa etiam futuris relictum esse; se illis non servire, sed assentiri.[3]) Itaque Seneca, ut ante eum Cicero, in morali parte philosophiae Stoicos secutus est, in metaphysicis ad Academiam se applicuit. Multis autem locis philosophiae moralis a veterum Stoicorum disciplina recedit, cujus rigorem ac severitatem veriore et rectiore de rebus divinis humanisque judicio mitigare et lenire studet.

Cum igitur nobis propositum sit, **philosophiam moralem Senecae** explicare, placita philosophi variis locis dispersa in quendam ordinem redigemus et disponemus. Et quoniam ethica cum physicis arte cohaerent,[4]) quorum argumentum corpora et corporis expertia, causam rerum et materiam complectitur, quaedam ex his videntur esse praemittenda. Itaque

1) De vita beata c. 3, 2.

2) Ep. mor. IV, 4.

3) Ep. mor. XI, 1.

4) Natur. qnaest. prolog: Equidem tunc rerum naturae gratias ago, cum illam non ab hac parte video, qua publica est, sed cum secretiora ejus intravi, cum disco, quae universi materia sit, quis auctor aut custos, quid sit deus, totus in se intendat an ad nos aliquando respiciat, faciat quotidie aliquid an semel fecerit, pars mundi sit an mundus etc.

hac ratione utemur, ut **quid Seneca de deo, de animo humano, de officiis hominum senserit et statuerit,** explanemus. Neque alienum videtur a proposito indicare, quibus in praeceptis Seneca cum praestantissimis Graecorum philosophis consentiat, quibus ab iis dissentiat, denique quae ratio inter illum et veteres Stoicos intercedat.

Esse deum non modo omnes philosophi Graecorum persuasum habebant, sed, ut recte ait Cicero (de nat. deor. I, 16): nulla est gens aut genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum. Idem de nat. deor. II, 4: omnibus enim innatum est et in animo quasi insculptum esse deos. Veterum Stoicorum atque etiam Aristotelis argumentationes Balbus Stoicus apud Ciceronem multis locis refert, imprimis argumentum de operibus deorum.[1]) Seneca quoniam opinionem dei homini cum ratione ipsa ingeneratam censet, vulgata quidem philosophorum argumenta saepius commemorat, ita tamen, ut iis non multum tribuat. Longe gravissimum ei argumentum morale videtur ex ipsius hominis conscientia et ex mundi constitutione repetitum. Deus per se constat **a materia diversus,** quam explet et constitutis legibus regit ac conservat.[2]) Anaxa-

1) Cic. de nat. deor. II., 37; II., 45. — Cf. Tusc. disput. I., 28.

2) Ep. mor. VII., 3: Nempe universa ex materia et ex deo constant. Deus ista temperat, quae circumfusa rectorem sequuntur et ducem. Potentius autem est ac pretiosius, quod facit, quod est deus, quam materia patiens dei.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

goras primus divinam mentem opificem mundi esse voluit et primus mundum a deo secrevit, primus etiam inter Graecos a deo uno, quam mentem vocavit, pendere docuit. Plato quidem unum deum novit, quamquam more Graecis usitato plures solet commemorare. Seneca a veteribus Stoicis eo dissentit, quod deum a materia sejungit quodque vulgi de deo opiniones ut turpes et ineptas repudiat.[1]) Plerique enim veterum Stoicorum mundum esse animal docebant eique principale quoddam tribuebant, et per omnes mundi partes, ut per corpus nostrum animum, ita mentem divinam diffusam esse affirmabant, ita ut deum nihil aliud esse nisi animam mundi censerent. Dubitari non potest, quin Seneca cum Platone unum deum esse crediderit. Si tamen ut Plato morem populi secutus quibusdam locis de diis loquitur, varios modos, quibus unus deus numen suum cum hominibus communicavit, videtur indicare voluisse.[2]) Ubicunque Seneca de una illa divina et immortali vi loquitur, cujus ratione omnia conservantur, singulari numero uti solet. Ut autem

1) De vita beata 26, 6: Quibus nihil aliud actum est, quam ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales deos credidissent.

2) De benef. IV., 7: Quotiens voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare: et Jovem illum optimum ac maximum rite dices et tonantem et statorem . . . Hunc eundem et fatum si dixeris, non mentieris. Nam cum fatum nihil aliud sit quam series inplexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua ceterae pendent. Quaecunque voles illi nomina proprie aptabis vim aliquam effectumque coelestium rerum continentia: tot adpellationes ejus possunt esse quot munera.

deus ab omni concretione mortali segregatus est et omnia movet, ita aeternus est, ubique adest, omnia efficere potest,[1]) omnia scit, numen sanctum est, quod nisi a sancto et puro animo capi non potest. Denique deus **bonus** est et bonitate, ut mundum crearet, est commotus.[2]) Bonitatem autem suam et amorem cum deus potissimum hominibus praestet, jure, ut ab his redametur, postulat.[3]) Intercedit igitur inter deum et hominem quaedam amicitia, qualem nullus alius veterum philosophorum statuit, qua re Seneca ad christianam doctrinam propius accedit. Ex amore dei misericordia ejus et clementia proficiscitur, quae tanta est, **ut et sceleratis sol oriatur et piratis pateant maria.** (De benef. IV, 26). Quoniam autem homo nulla virtute quam clementia dei fit similior, hanc ipsam gravissimis saepe verbis Neroni alumno commendat.[4]) Amore commotus deus homines educare et ad veram virtutem revocare studet. Ut autem pater bonus eum ipsum puerum, quem

1) Cf. Cic. de nat. deor. III., 39: Stoici dicere solebant nihil esse, quod deus efficere non possit, et quidem sine labore ullo.

2) Ep. mor. VII, 3: Quaeris, quod sit propositum deo? bonitas est.

3) De benef. II., 29: Ita est: carissimos nos habuerunt dii immortales habentque, et qui maximus tribui honos potuit, ab ipsis proximos collocaverunt: magna accepimus, mojora non cepimus.

4) De clem. I, 3: Nullum tamen clementia ex omnibus magis quam regem aut principem decet. Ita enim magnae vires decori gloriaeque sunt, si illis salutaris potentia est: nam pestifera vis est valere ad nocendum.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

maximo amore amplectitur, etiam castigando regere et emendare vult, ita deus in eos quos amat, severum se et durum saepe praebet.[1]) Non tamen solo amore deus ad puniendos homines impellitur, sed etiam justitia; exercet autem judicia cum hominum conscientia commovenda, tum variis poenis, quas ab iis exigit. Non alienum est a dei justitia, quod bonis saepe male est; ita enim natura hominum est comparata, ut perpetuam felicitatem ferre nequeat. Accedit quod, quidquid adversi homini accidit, id sapienti externum tantum malum est, quod quia mutari non potest, aequo et constanti animo ferendum est. (De provid. c. 3—6.)

Deus **ubique operatur** et vim suam cum in naturam, tum in vitam hominum exercet; ipse curat et providet, ut ordo et leges, quibus mundum constituit, conserventur neve ullo modo immutentur.[2]) Ne tamen fatum cum providentia dei commutetur, illud est immutabilis rerum ordo ab ipso deo a prima inde mundi origine praestitutus, atque lex omnibus praescripta, haec posita est in iis solvendis atque perficiendis, quae fato ab initio constituta sunt. Neque tamen deus aeterna hac necessitate ita adstrictus est, ut quidquam de ipsius agendi libertate de-

1) De provid. c. 1, 6: Bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum parat.

2) Ep. mor. X, 1, 12: Desine fata deum flecti sperare precando. Rata et fixa sunt et magna atque aeterna necessitate ducuntur.

minuatur; deus in agendo nulla alia re quam sua voluntate ducitur.[1]) Ut autem intelligatur, Senecae sententiam magna ex parte cum Platonis placitis congruere, haud alienum videtur, praeclarum Platonis de providentia locum latine redditum comparare, qui est Legg. X, 899. „Qui providentiam esse negant, quod saepe bonis male, malis bene est, hi reputent secum, a praestanti, perfecta bonaque natura abesse virtutem nullam posse, nihilque quod sit laudabile et perfectum. Tales cum sint dii, desidia, inertia, socordia, negligentia et quae sunt hujus generis alia, hominibus invisa et reprehensione digna, longe ab iis oportet esse remota. Porro ad operis cujusque auctorem cura quoque ejus pertinet, eamque par est omnibus, maximis haud minus quam minutissimis, ad salutem ejus vel perniciem pertinentibus prospicere. Nisi enim imbecillitas in causa fuerit, tantummodo aut inertia et socordia, aut opinio, parvas res nullius esse momenti ad totius salutem, efficient ut eae negligantur. Horum neutrum cadit in deos: quum enim videant et perspiciant cuncta, cum summa iis insit omnia efficiendi potestas ac bonitas praeterea, inertes esse ac desides nullo modo possunt, nec minora, quasi nullius essent momenti,

1) De benef. VI, 23 init: Adice nunc, quod non externa cogunt deos, sed sua illis in legem aeterna voluntas est. Statuerunt, quae non mutarent, itaque non possunt videri facturi aliquid, quamvis nolint, quia quidquid desinere non possunt, perseverare voluerunt, nec unquam primi consilii deos poenitet.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

ab iis spernuntur, quum omnia sint deorum; suum autem nemo unquam negligit aut vilipendit; et medici opificesque parva plurimum valere ad servanda majora intelligentes horum quoque curam gerunt; quibus inferiores esse deos nullo modo concedendum est. — Deus totius universi maxime prospicit saluti, omniaque ad totius utilitatem ordinat; fallitur ergo, qui sua causa omnia debere fieri persuasum habet, et quoties ex animi sententia res non succedunt, indignatur; is igitur docendus est, ab eo qui universum curet, omnia ad salutem et perfectionem totius esse composita, et eorum partes singulas sua quamque pro viribus et pati et facere, et, o miser, qui providentiam dei reprehendis, harum partium una tua est, quae quamvis minima semper ad totum respiciens tendit; pars autem totius non totum partis gratia est; quaecunque igitur unicuique nostrum eveniunt vel minima, ad salutem universi pertinent."

Deus cum sit optimus et sanctissimus, ab homine vult animo casto et sancto se adorari. Primus ad venerandum deum gradus est **deum credere**, inde admiratio et metus dei proficiscitur; pietas summa in amore dei cernitur, quo adducimur, ut eum sequamur et imitemur;[1]) nemo autem deum imitari potest,

1) Ep. mor. XV, 3,50: Primus est deorum cultus deos credere, deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est; sire illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant . . . Vis deos propitiare? bonus esto: satis illos coluit, quisquis imitatus est.

huic eo praestat, quod suo bonus fit merito, deus natura est.[1])

Tantam cum Seneca homini dignitatem tribuat, huic repugnare videntur, quae de communi omnium hominum improbitate multis locis disserit, de qua re postea accuratius exponemus.

Ut animus liber et sui compos est, ita corpus illius est hospitium, pondus ac poena; premente illo urgetur, in vinculis est. Corpus, cujus materia est terrestris, **caro** appellatur, quae origo et sedes omnium cupiditatum animique perturbationum est, quibus omnis rationis actio inhibetur atque etiam tollitur. Itaque animo divino cum corpore terrestri perpetuum certamen est. Animus corpore pressus philosophia et naturae contemplatione reficitur et a terrenis ad divina erigitur; in obnoxio corpore liber habitat.[2]) Conjunctio corporis et animi quoniam fons erroris omniumque malorum est, eaque actio rationis opprimitur, corpus tam vile est habendum, ut Stoici doceant sapienti mortem voluntariam sibi consciscere licere.[3]) Hoc praecipue tum facere licebit, si virtus et vita non una servari possunt, aut si nequitia tantum et sceleribus a morte vindicemur, denique si morbis gravissimis iisque non sanabilibus adflictum corpus inutile

1) Ep. mor. VI, 1, 11: Est aliquid, quo sapiens antecedat deum: ille beneficio naturae non timet, suo sapiens. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem dei.

2) Cf. Ep. mor. VII, 3, 16—23.

3) De provid. VI, 6—9.

...druckt bei H. Neubürger in Dessau.

sit ministeriis. Quod etiam Seneca mortem voluntariam probat et commendat, ex immanitate illorum temporum explicari potest, quibus homines saepissime exquisitos cruciatus sola morte effugere poterant.

Cum immutabili mundi constitutione omnia a deo praestituta sint, quaeritur, quomodo homini liberum agendi arbitrium vindicari eique facta sua imputari possint. Quod cum jam veteres Stoici variis modis declarare conarentur, hanc rationem inierunt, ut dicerent: esse quidem homini liberam agendi rationem, deum autem sortem hominum ita praestituisse, ut qualis et quando haec eventura esset, in hominum potestate poneretur. Ita consilia divina alia esse, si vota et preces ab hominibus adhiberentur, si omitterentur, alia.[1]) Haec repugnantia ut tollatur Seneca praecipit, ut homo in rebus omnibus rationem sequatur, cui cum obtemperet, eum sua sponte dei voluntati obsequi: deo enim parere, eam demum veram esse libertatem.

Immortalem esse hominis animum neque una animum et corpus occidere, non solum praecipuos Grae-

1) Natur. quaest. II, 37: . . . nos quoque existimamus vota proficere salva vi ac potestate fatorum. Quemadmodum enim a dis immortalibus ita suspensa relicta sunt, ut in bonum vertant, si admota dis preces fuerint, si vota suscepta: ita non est hoc contra fatum, si ipsum quoque in fato est. „Aut futurum, inquit, est aut non: si futurum est, fiet, etiamsi vota non suscipis. Si non est futurum, etiamsi non susceperis vota, non fiet.“ Falsa est ista interrogatio, quia illam mediam inter ista exceptionem praeteris: futurum hoc est, sed i vota suscepta fuerint.

corum philosophos credidisse, verum etiam nonnullos demonstrandi periculum fecisse, notissimum est.[1]) Et veteres quidem Stoici de statu et conditione animorum post mortem corporis inter se dissentiebant; alii enim diu mansuros animos immortales ajebant, negabant alii. Zeno quidem docuerat: cum totus mundus aliquando igne interiturus esset, ita ut ad extremum nihil praeter ignem divinum remaneret, necessario etiam animum humanum, quia mundi esset pars, caducum esse atque mortalem. Erant etiam, qui immortalitatem non ad omnes omnino homines, sed ad **solos sapientes** pertinere censerent. Seneca immortales esse animos philosophiae argumentis demonstrari et confirmari posse negat, idem tamen praecipue in consolationibus et in epistolis ad Lucilium Platonis argumentis ex origine et natura animi repetitis multis locis utitur. Gravissimum autem argumentum illud esse judicat, quod morale vocatur, quod quidem ab ipsius animi spe ac desiderio proficiscitur. Itaque corpus saepe hospitium dicit esse totamque vitam peregrinationem; corpus animo patriam repetenti quasi vincula injicit. His vinculis quoniam animus morte liberatur, haec non malum sed beneficium habenda, non extimescenda

1) Veterum de animorum immortalitate sententias multi recentiorum collegerunt; cf. Wyttenbachii disputationem de quaestione: quae fuerit veterum philosophorum sententia de vita et statu animorum post mortem corporis; — Struvii historiam doctrinae veterum philosophorum de statu animi post mortem corporis.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

est.[1]) Qui sibi persuasit animi corporis vinculis liberati meliorem conditionem esse, is quidquid acciderit, patienter feret, in rebus adversis nova se spe consolabitur, majore impetu ad divina et coelestia feretur. Animus ut cum deo conjungatur et perpetua felicitate perfruatur, sola virtute potest assequi. Nemo autem eo ipso temporis momento, quo animus a corpore sejungitur, perfecta virtute praeditus et sanctus est; tum demum, cum vitae vitiis liberatus est, magna quemque et aeterna pax excipiet. Memorabilis est locus Senecae,[2]) quo hic nonnullis hominibus doctis resurrectionem, quae dicitur, animorum aut saltem transitum in nova corpora significasse visus est, quia animi cum deo conjunctio tum demum locum habere posset, cum animus humanus cursu suo peracto, emendatus, omnibus alienis abjectis in numen, unde originem traxisset, rediisset. Nos quidem Senecam illo loco nihil aliud indicare voluisse censemus, nisi interire nihil, sed in alium statum transire.

Summa illa felicitas, qua animus apud deum frui-

1) Consol. ad Marc. c. 19, 4—5: Cogita nullis defunctum malis adfici, illa quae nobis inferos faciunt terribiles, ... luserunt poetae et vanis nos agitavere terroribus. Mors dolorum omnium exsolutio est et finis, ultra quem mala nostra non exeunt.

2) Ep. mor. IV, 7, 10—11: Mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit: veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret. Sed postea diligentius docebo omnia, quae videntur perire, mutari. Aequo animo debet rediturus exire. Observa orbem rerum in se remeantium: videbis nihil in hoc mundo exstingui, sed vicibus descendere ac surgere.

tur, in veritate penitus cognoscenda et in numine divino intuendo consistit. Versatur ibi animus in sacro eorum coetu, quos in terris habebat carissimos, nec tamen sortem eorum, quos superstites reliquit, curare desinit. (Consol. ad Marc. c. 25, 1—2.)

Quanto rectius ac verius quam veteres Stoici Seneca de rebus divinis humanisque judicaverit, ex ejus praeceptis **de officiis** intelligitur. In hoc loco explicando primum **de principio agendi** quaerendum est. Et illud quidem a Stoicis modo **recta ratio** dicitur, modo **natura**, modo ipse **deus**. Est autem illa recta ratio nihil aliud nisi animi nostri divina pars; huic igitur rationi parere idem est atque legibus divinis obtemperare. Quoniam autem apud veteres Stoicos notio naturae simul dei notionem comprehendit, formulae: convenienter vivere naturae, suae ipsius rationi obtemperare, parere legibus divinis plane idem significant. Seneca vero quia, ut supra demonstravimus, naturam a deo sejungit, praecipit: **obsequere voluntati dei**, cum priores Stoici docerent primam legem virtutis esse: **sequere naturam.** Pietas hominum erga deos qualis esse debeat, quoniam supra jam demonstratum est, hoc loco adnotasse satis habemus, Senecam in officiis ab homine deo praestandis praeter obedientiam etiam gratum animum et fiduciam in diis habendam ponere. **Summum bonum** Seneca censet esse **honestum,** quod idem est atque **virtus,** vel **ratio perfecta,** quae non diversa est a **sapientia.** Deinde vero etiam **felicitas**, quam ex virtute homo

druckt bei H. Neubürger in Dessau.

percipit, summum bonum appellatur, quae quidem felicitas in conjunctione animi humani cum deo perspicitur. Hoc loco breviter adnotare mihi liceat Senecam, ut reliquos Stoicos, censuisse virtutem his quatuor potissimum modis conspicuam fieri: prudentia, fortitudine, constantia, justitia. Est autem prudentiae, ut cuique rei pretium suum statuamus, temperantiae, ut bona expetamus, fugiamus mala; fortitudine impellimur, ut ubique virtutem sequamur et ne morte quidem proposita ab illa assequenda deterreamur; justitia ut suum cuique tribuamus monemur. Ad perfectam virtutem assequendam veterum Stoicorum opinione homo alienae opis non indiget, sed in sua ipsius voluntate satis habet adjumenti; qua doctrina voluntati humanae nimium tribuitur. Summam virtutis speciem **sapiens stoicus** exhibet, qui sibi ipse satis est, omnes humanas vices infra se positas judicat, solus liber et rex et **deo par est.** Is cum omnia, quibus animus perturbari possit, a se prohibeat et removeat, ne amoris quidem et misericordiae sensum admittit. Ita fit, ut virtus veterum Stoicorum, quia communis hominum amoris expers est, vera virtus haberi nequeat. Contra Seneca humanitatis et amoris sensum a virtute non sejungit eamque non solius sapientis propriam esse, sed ad omnes omnino homines pertinere eique hoc potissimum propositum esse censet, ut deum imitetur. Rectius igitur ac sapientius Seneca quam quisquam ante eum de officiis hominum praecipit. Omnes enim dicit homines, liberos, servos

sine ullo discrimine pares esse et quadam caritatis societate contineri, omniumque hoc esse officium, ut virtute exercenda ad dei similitudinem accedant. Homines igitur non uni, in qua nati et educati sunt, civitati sunt addicti, sed est quaedam communis omnium patria, cujus cives pares sunt et secundum virtutis gradum inferiorem vel superiorem dignitatis locum obtinent.[1]) Apparet igitur ea, quae Seneca de officiis in universum praecipiat, ad veram humanitatem et virtutem spectare percipiendam. Sed priusquam de his accuratius exponamus, quid ille de natura hominum senserit, videtur esse explicandum. Homines e manu dei boni et innocentes prodierunt,[2]) sed natura ad sui amorem et ad contumaciam proclives sunt; cum autem in corpore, animi hospitio, praecipua mali causa insit, homines semper corporis voluptates secuti sunt, unde mores eorum sunt corrupti. Similis sententia in Platonis Phaedone expressa est, quam latine sic reddere licet: quaeque voluptas tanquam clavum gestans affigit animum corpori et facit

1) De otio sap. c. 31: Duas republicas animo complectamur, alteram magnam et vere publicam, qua di atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum respicimus aut ad illum, sed terminos civitatis nostrae cum sole metimur: alteram, cui nos adscripsit condicio nascendi. Quidam eodem tempore utrique rei publicae dant operam, majori minorique, quidam tantum minori, quidam tantum majori. Huic majori rei publicae et in otio deservire possumus, immo vero nescio an in otio melius, ut quaeramus, quid sit virtus.

2) Cf. Augustin. de civ. dei XIV, 6: Nemo natura, sed quisquis malus est, vitio malus est.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

corperi similem animum, ut ei eadem vera videantur quae corpori. (Phaed. p. 83. D.) Itaque nulla fuit aetas, quae vitiis hominum careret, ipsae tantum vitiorum formae mutatae sunt.[1]) Haec igitur magnopere a veterum Stoicorum sententia discrepant, qui virtute sua freti sibi ipsi placebant. Philosophiae negotium datum est, ut hominem hac pravitate liberet, quippe quae efficiat, ut improbitatem suam cognoscat, ad bonam frugem se recipiat et ad virtutem revocetur. Quod dum assequitur, perpetuo animus et caro, quae sedes cupiditatum est, inter se dissident. Ubi vero improbum se esse philosophia duce homo cognovit, postulatur, ut vitia sua exuere velit; poterit autem qui volet.[2]) Ut autem homo intelligat, quantum in virtute profecerit, necesse est, ut quisque se ipse perspiciat totumque tentet, id quod vespere opere diurno perfecto commodissime instituet. Praeterquam quod philosophia homini dux ad virtutem data est, habet ille etiam conscientiam quasi quandam divinam vocem et judicem factorum. Magna enim, ut ait Cicero, vis

1) De benef. I, 10: Hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et omne nefas labi .... Ceterum idem semper de nobis pronuntiare debebimus, malos esse nos, malos fuisse, invitus adiciam et futuros esse.

2) Ep. mor. III, 7. 9: Initium est salutis notitia peccati. Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus; nam qui peccare se nescit, corrigi non vult.

Ep. mor. XIX, 7, 8: Satis natura homini dedit roboris, si illo utamur, si vires nostras colligamus ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus: nolle in causa est, non posse praetenditur.

est conscientiae, et magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Denique hominis studium sanctitatis et pietatis assequendae a deo ipso adjuvatur, sine quo nemo potest esse bonus.[1]) Ut autem et philosophia et conscientia et deus ipse viam monstrant, quae ad virtutem ducit, ita multum ad hanc assequendam is proficit, qui magnorum virorum, quos rerum memoria imitandos hominibus proponit, vitam et facta intuetur.[2])

Hactenus quae disputata sunt, iis officia continentur, quae homo deo et sibimet ipsi praestare debet; restat ut explicemus, quae officia ut homo homini praestet, Seneca praecipiat. In hac parte philosophiae ille ab eo, quod supra jam proposuimus, proficiscitur, omnes homines communi quadam societate contineri, in qua omnes pares sint et cuique hoc munus a deo sit assignatum, ut virtutem assequatur. Hinc consequitur, ne quis alterum despiciat aut se ipso inferiorem ducat,[3]) sed ut suum cuique tribuat. Ita cum

1) Ep. mor. IX, 2, 15: Non sunt dii fastidiosi, non invidi: admittunt et adscendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad deos ire? deus ad homines venit, immo, quod est propius, in homines venit: nulla sine deo mens bona est.

2) Ep. mor. I, 11, 8: Aliquis vir bonus nobis eligendus est ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tamquam illo vidente faciamus. Hoc Epicurus praecepit; custodem nobis et paedagogum dedit, nec immerito: magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistit.

3) De benef. III, c. 28, 1: Eadem omnibus principia eademque origo, nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium et artibus bonis aptius. Cf. De ira II, c. 31, 7—8 et De benef. III, c. 18, 2.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

Seneca doceat omnes homines communi quodam humanitatis jure inter se conjungi, multum a vulgari aequalium opinione recedit, cives tantum civitati officia praestare debere. Tum vero etiam illud praecipit, ut alteri vivas, si velis tibi vivere. In convictu autem humano haec lex observanda est, ut qua mente nos ab aliis beneficia accipere cupiamus, eadem illis tribuamus. Quo nos animo in alios affecti esse debeamus, a diis ipsis docemur, qui in homines etiam indignos beneficia conferunt. Quorum exemplum secuti ita nos in alios geramus necesse est, ut in omnibus actionibus benevolentiae et caritatis sensu ducamur. Ut autem omnis virtus propter se ipsam exercenda est, ita alter alterum suam utilitatem et commodum nihil curans amare debet. Quae Seneca de amore alteri exhibendo praecipit, ea ad christianam rationem proxime accedere is sibi facile persuadebit, qui libros de beneficiis diligenter perlustraverit. Quod Seneca, ut supra demonstravimus, omnes homines communi quadam societate statuit contineri, eo non modo civem civi, sed quemque hominem homini proximum esse comprobatur. Inde efficitur, humanitatis jura et clementiam etiam servis esse tribuenda, qui illo tempore omnis divini humanique juris expertes esse credebantur.[1]) Atque Plato et Aristoteles humanitatem solis Graecis atque hominibus liberis ex-

1) De clem. I, c. 18, 1—2: Servis imperare moderate laus est. Et in mancipio cogitandum est non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat aequi bonique natura,

hibendam esse, ad servos autem omnino non pertinere docent.

Humanitatis ratio postulat, ut etiam injurias illatas aequo animo feramus neve irascamur, quia ira in sapientem non cadit. Etiam indignius sapiente est ulcisci vel mala malis referre; ignoscemus potius et veniam dabimus ei qui injurias nobis intulerit, quia omnes peccamus et venia indigmus. Bonus autem vir non modo ignoscet, sed etiam **mala bonis rependet**;[1]) idem non desinet communi bono operam dare, adjuvare singulos, **opem ferre etiam inimicis** leni manu. (De otio I, 4.)[2]) Quo quidem praecepto Seneca prope accidit ad veram humanitatem eumque amorem, quem Christiani inimicis praestare jubentur. Ut autem omnes homines communi amoris vinculo conjungi necesse est, ita in domestico usu et consuetudine parentum ac liberorum benevolentia et caritas est exercenda. Hoc tametsi Seneca non disertis verbis praecipit, tamen ex eo apparet,

---

quae parcere etiam captivis et pretio paratis jubet. — Cum in servum omnia liceant, est aliquid, quid in hominem licere commune jus animantium vetet.

1) De ira I, c. 5, 3: Ira avida poenae est, cujus cupidinem inesse pacatissimo hominis pectori minime secundum ejus naturam est. Beneficiis enim humana vita constat et concordia, nec terrore, sed mutuo amore in foedus auxiliumque commune constringitur.

2) Non modo amicos, sed etiam inimicos esse amandos, optimus quisque scriptor rerum ad mores pertinentium praecipit; cf. Fr. A. Wolfii commentationem: quid de officiis et amore erga inimicos Graecis et Romanis placeat. Halis 1789.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

quod Helviam matrem summo amore et pietate prosequitur ejusque virtutes maximis laudibus extollit.[1]) Idem aliquoties eos graviter incusat, qui patria potestate in liberos acerbius utuntur.[2])

Qui virtutibus omnibus, quibus homines ad similitudinem dei accedunt, praeditus est, is vere sapiens est, absolutus, perfectus et beatus. Imaginem hujus sapientis stoici cum Seneca multis locis proponat, tum Ep. mor. XX, 3, 10—14 tam praeclaris verbis exprimit, ut non defuerint, qui illis Christum designari crederent, praesertim cum similia in primae epistolae Petri c. 2, 22—23 reperiri censerent.

Quod si omnia, quae Seneca de deo et de hominibus eorumque officiis praecipit, paucis complectimur, homines omnes docemur a deo bonos esse profectos inter se pares, qui virtute exercenda ad similitudinem dei pervenire debeant, ut soluti corporis vinculis deum intuentes perpetua felicitate fruantur. Seneca quidem in doctrina tradenda non ubique sibi constat et interdum repugnare sibi videtur; modo enim quae ipse persuasum habet, proponit, modo Stoicorum sententias et praecepta reddit. Quia ea, quae Seneca de divinis humanisque rebus tradit, diligenter apud animum reputaverit, is intelliget, ejus praecepta a veteribus Stoicis plurimum abhorrere nec multum a ratione christiana recedere. Cujus rei quae sit causa si quaerimus, satis constat Senecam

1) Consol. ad Helv. c. 14 et 15.
2) De clem. c. 15, 16.

optima quaeque et verissima, quae Plato et Aristoteles de deo, de animo, de officiis hominum sibi persuasissent et docuissent, sua fecisse et in rem suam convertisse. Stoicorum enim doctrina moralis ita erat comparata, ut receptis quibusdam Platonis placitis non modo iis, qui ab eorum disciplina essent, viam ad veram humanitatem percipiendam munire posset, sed etiam ipsa paulatim magis exculta et emendata aliquam cum christiana doctrina assequeretur cognationem. Potuisse autem doctrinam Stoicorum ex se ipsa fieri mitiorem, probat Panaetius, Ciceronis judicio princeps prope Stoicorum, qui sententiis primis et rebus gravissimis vere Stoicus, illorum tristitiam atque asperitatem fugiens neque acerbitatem sententiarum neque disserendi spinas probavit.[1]) Posteriores autem Stoici cum intelligerent priores ea docuisse, quae praestari non possent, severiore disciplinae parte relicta, mitiorem retinuerunt et excoluerunt. Atque illud quidem non magni momenti esse existimo, quod apud Senecam haud raro sententiae reperiuntur, quarum similes in scriptis sacris legimus, cum similem dictorum consensum etiam apud septem sapientes, quos dicunt, deprehendamus. Multo gravius esse judico, quod tota disciplina moralis Senecae veriorem et rectiorem de divinis humanisque rebus sentiendi rationem exhibet, quam ullius veterum philosophorum.

1) Cic. de fin. bon. et mal. IV, 2, 28, 79. — Cf. Chrysippi placitum: cetera nata esse hominum causa et deorum, eos autem communitatis et societatis suae. (Cic. de fin. bon. et mal. III, 20, 67.)

...ckt bei H. Neubürger in Dessau.

Hoc tam admirabile et singulare est, ut neque ex Stoicorum aut Platonis doctrina, neque ex Senecae praeclaro ingenio satis declarari posse videatur. Fuerunt igitur qui censerent Senecam quandam doctrinae christianae notitiam habuisse, neque defuerunt, qui philosopho cum Paulo apostolo usum et consuetudinem intercessisse existimarent. Hac opinione ducebantur, quia cognoverant, etiam Tertullianum (de anima c. 20), Lactantium (div. instit. I, 5), Hieronymum (de scriptor. eccles. c. 12), Augustinum (ep. 153 ad Maced. 14) Senecae rationem a doctrina christiana non multum abhorrere judicasse. Accedit quod Hieronymus et Augustinus quarundam epistolarum mentionem faciunt, quas Seneca ad Paulum apostolum dedisse credebatur, quod quidem simulatum litterarum commercium quatuordecim epistolas continens etiam nunc exstat. Recentiore quidem tempore illas epistolas falsas et suppositas esse gravissimis argumentis confirmatum est; habuisse autem Senecam cum Paulo apóstolo commercium quibusdam hominibus doctis verisimile visum est, quia Paulus eo ipso tempore, quo Senecae auctoritas Romae et apud Caesarem multum valebat, duos annos in domo, quam mercede conduxerat, in coetu Christianorum verba fecit. Iidem commemorant Paulum a Gallione, natu majore Senecae fratre, proconsule Achajae absolutum esse, cum a Judaeis accusatus esset; quo facto apostolum Romae praefecto praetorio Burrho, amico Senecae, custodiendum esse traditum;

denique Paulum nonnullorum de aula Caesaris animos ad christianum dei cultum convertisse: inde posse conjici Senecae cum Paulo usum et consuetudinem intercessisse.[1]) Hanc tamen argumentationem non omni dubitatione carere recentiore tempore ab hominibus doctis demonstratum est.[2]) Utcunque est, similitudo illa, quae inter Senecae philosophiam moralem et doctrinam christianam intercedit, tam mira et singularis est, ut unde illa sit explicanda, nondum satis declaratum esse videatur. Cum enim verisimile non sit Senecam Paulo familiariter usum esse, philosophus autem salutis in Christo divinitus missae ne suspicionem quidem habuerit, mitis illa et prope divina sentiendi et cogitandi ratio, quae ubique in Senecae scriptis reperitur, qualem ante eum nullus veterum scriptorum ostendit, unde profecta sit, etiam nunc difficilis et obscura quaestio est.

1) Schmidt: Essai historique sur la société civile dans le monde romain et sur la transfirmation par le Christianisme. Paris 1853 p. 379 ff.

2) Vide quae Baur in Hilgenfeldii „Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie" Jenae 1858 fasc. 2 et 3 disseruit.

Gedruckt bei H. Neubürger in Dessau.

L. Annaeus Seneca

aus seinen Schriften.

(3)

Von

Dr. Emanuel Probst.

Einladungsschrift

zu den

Prüfungen

der

beiden Gymnasien und der Realschule.

1879.

2295

Basel.
Schweighauserische Buchdruckerei.
1879.

L. Annaeus Seneca.

Als Pompejus mit allzuweit gehender Macht ausgestattet werden sollte gegen die Seeräuber, fürchtete der Senat eine Alleinherrschaft. In der Volksversammlung suchten die Senatoren einem solchen Beschluß zu wehren. Der eine Consul sagte, es wetteifere Pompejus mit Romulus, er werde auch demselben Tode nicht entgehen. (Romulus soll durch Patricier ermordet worden sein.) Dieser Consul wäre beinahe vom Volke getödtet worden. Als aber jetzt Catulus auftrat — der war sehr angesehen beim Volke — da hielten sie Ruhe. Catulus besprach neidlos die Thaten des Pompejus und sagte, man solle einen solchen Mann doch ja nicht der Gefahr gegen die Seeräuber aussetzen, oder wen man denn zur Sorge für das Gemeinwesen hätte, wenn dieser umkäme. Da begannen sie wieder zu schreien, und einstimmig riefen alle: „Dich, Catulus, dich!“ Catulus trat ab, da er nichts ausrichtete. Als aber Roscius auf der Rednerbühne erschien, übertönte ihn das Geschrei, und als er durch Zeichen bedeutete, man solle zweien miteinander diese große Vollmacht ertheilen, da erhob sich ein solcher Lärm, daß ein Rabe, davon betäubt, aus der Luft fiel. [1]) Die Volksversammlung verlief im Tumult, eine Abstimmung vermehrte später noch die Vollmachten des Pompejus.

Als in einer andern Volksversammlung Cäsar, um sich

[1]) Plut. Pomp. 26. Es braucht wohl kaum daran erinnert zu werden, daß diese Fabel auch zu andern Volksversammlungen erzählt wird.

das Volk zu gewinnen, die Ackergesetze vorschlug, trat Cato auf und wagte zu widersprechen. Ihm wurde vom wüthenden Volke die Toga auf dem Forum vom Leibe gerissen, von der Rednerbühne bis zum Triumphbogen des Fabius wurde er geschleppt. Er bekam die Fäuste der tumultuierenden Versammlung zu fühlen, die Schimpfwörter, das Anspucken und alle Schmach einer wahnsinnigen Volksmenge zu kosten. [1]) Das Gesetz wurde glänzend angenommen und trug zur Allmacht Cäsars das Seinige bei.

[1]) So wird in einer alten Ausgabe der Troerinnen der Verfasser dieses Chorgesanges bezeichnet. Einer der ersten italienischen Humanisten meinte, Seneca sei wohl von Sinnen gewesen, als er sich unterfing, die Unsterblichkeit der Seele in Zweifel zu ziehen.

[2]) ep. 30, 9: Plus, ut puto fidei haberet apud te, plus ponderis, si quis revixisset et in morte nihil mali esse narraret expertus.

G. Pätz'sche Buchdr. (Lippert & Co.), Naumburg a/S.

DE

L. ANNAEI SENECAE

QVAESTIONIBVS NATVRALIBVS

DISSERTATIO PHILOLOGA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XXXI MENSIS IVLII ANNI MDCCCLXXXVI HORA X PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

GEORGIVS MVELLER
OLDENBVRGENSIS

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIVERS. TYPOGR.
MDCCCLXXXVI

FRANCISCO BVECHELER
RENARDO KEKVLÉ
HERMANNO VSENER

Ad propositas quaestiones instituendas praeter ea, quae iam publici iuris facta sunt, haec mihi praesto erant subsidia:

Ipse contuli

Senecae quaestionum naturalium codicem Berolinensem E, cuius aditum mihi patefecerat Diels. (Libri II capita 27—59, quae ipse conferre casu prohibitus sum, Gerckius meus perscrutatus est.)

Librum Wirceburgensem W, qui quod Bonnam missus est Usenero debeo.

Codicem Leidensem L. Renardus Mosen, bibliothecarius Oldenburgensis, benigne eum in usum meum a bibliotheca Leidensi expetiverat.

Codicem Bambergensem B, Buechelero rogante bibliothecae Bonnensi traditum.

Excerpta Vicentii ex Speculi exemplari, quod typis editum est Argentorati (1473—76), Oldenburgi adservato.

Praeterea Usenero gratificatus v. d. C. de Holzinger de codice Pragensi L 94 satis amplam materiam mihi commisit.

Signum! indicat variam lectionem librorum EB a Fickerto vel male enotatam vel omissam.

I. De Pragensi et Bambergensi codicibus.

De Senecae quaestionum naturalium codice Pragensi primus monuit Carolus Schenkl[1] et ex varia lectione, quam de 13 primis paragraphis enotatam cum codicis Bambergensis scriptura contulerat, similitudinem artiorem inter hos codices intercedere statuit. Cui viri doctissimi sententiae ut adstipulemur uberioris

[1] Sitzungsberichte der Wiener Akademie 1863. Phil. Hist. Cl. XLIV p. 33 adn.

materiae comparatione commendatur. Et fortasse de ipso adfinitatis gradu iudicium ferre licebit.

Codex bibliothecae capituli metropolitani Pragensis L 94 continet praeter Senecae quaestiones Asclepium dialogum (cf. Apuleius ed. Goldbacher praef. pag. X) et tractatum philosophicum de anima, quem Nemesii versionem latinam esse ex excerptis ei commissis cognovit Usener. Postea in codice Bambergensi[1] una traditum cum naturalibus quaestionibus et Asclepio[2] Nemesii librum inveni. Sunt capita 1—41, sed ordine mutato et paucis omissis tradita; praeterea folia codicis 65 et 66 per errorem ante fol. 67 posita sunt.

Librum Pragensem Schenkl saeculo XI adscripsit, de Holzinger literarum formam similem esse eis exemplis adfirmat, quae ex codice Sangallensi 852 (Cic. ad Herenn. saec. XII) adfert E. Chatelain. (Paleogr. des mss. lat. pl. XVII). Denique Usener, quamquam ex paucis verbis delineatis rem diiudicare noluit, de saeculo XIII cogitavit.

Sed codicem B, postquam diu quo non dignus erat honore fructus est, saeculo XIII adscribamus necesse est[3]. Quod ut faciamus et genere et compendio scripturae suadetur et glossa marginali (cf. Fickert Prolegg. p. 48) mutilata a bibliopega (!): 'Anno] domini MCCLII istud princi[pium] sermonis optimum fuis[set] in vigilia epifanie ut (?) [?] tonitrua fulgura corus[ca] venti tempestates maxime [?]ebat (!) bertoldus frater minor[4]'.

---

[1] cf. R. Fickert Prolegg. in novam Senecae edit. Numburgi 1839. p. 48. Seneca ed. Fickert III praef. p. VI.

[2] Adnexa est: Epistula ypocratis ad antyochum regem de IIII temporibus anni. 'Scripsi tibi et temporum descriptiones, ut scias quibus temporibus quaeque appareant et quo uti et quid vitare — et per totum annum integram salutem habebis absque ullo auxilio medicorum'.

[3] Idem statuit Aem. Thomas post dissertationem 'Schedae criticae in Senecam rhetorem selectae' in sent. contr. I.

[4] Bertholdum Ratisbonensem, praedicatorem clarissimum († 1272) dici vidit Usener. Fortasse glossa respicit ad certum locum qui adhuc latet inter sermones eius latinos in bibliotheca Paulina Lipsiensi adservatos. Certe novisse illum Senecae scripta ex initio orationis germanice habitae elucet (cf. Ch. Kling Berthold des Franciskaners deutsche Predigten. Berlin 1824). 'Seneca der sprichet: diu rede, die du gehôrest heimlîch, diu sol bî dir begraben sîn'. (cf. De ben. V 21, 1 'querar tamen

Quam equidem ab ea manu adfirmaverim scriptam esse, qua quaestiones passim correctae sunt.

Codex Pragensis praebet quaestiones naturales binis columnis duodequinquagenarum linearum exaratas ex fol. 1r. ad. fol. 21r. col. 2. lin. 37. In codice B (constat quaternionibus plenis 8, tribus foliis) legitur Senecae liber ex folio 9r. ad folii 45r. lineam 26. Singulae paginae non divisae duodequadragenas lineas continent.

Iam comparemus inter se principia librorum a codicibus B et Pr tradita. Lib. I: 'Prologus Annee Senece Cordubensis in librum de naturalibus quaestionibus ad Lucilium' BPr. Libri II initium non nisi litera maiuscula O rubro colore adpicta (quibus tamen literis singulorum quoque capitum principia interdum indicantur) et spatio semilineae vacuo indicant BPr. Lib. III 'Prologus in libro tercio' Pr rubore adnotavit in vacua primae lineae parte; B tale spatium vacuum reliquit, qua re codicem Pr ex B exscriptum non esse probatur. Lib. IV 'Grandinem' litera maiuscula rubra G scriptum est in BPr.

Lib. V 'Incipit liber quartus' rubro colore scriptum exhibent BPr. Librum VI B non nisi litera P (in 'Pompeios') colore viridi picta signavit, Pr habet: 'liber V'. Praeterea in hoc codice per errorem ad verba VI 32 'Haec Lucili . . .' adscriptum est: 'liber VI' (sed rubor differre videbatur Holzingero a ceterarum inscriptionum colore). Denique in libri VII initio librarius uterque literis maioribus usus est coloratis, in fine scripsit: 'Lucii Annei (! cf. inscr. libri I) Seneae explicit'. Ceterum quae in B a manu recentissima adnotata sunt consilio praetermisi.

De lacunis maioribus haec dicenda sunt. Omiserunt illi codices omnia ex I 16, 4 'verecundia'— 17, 1 'Derideantur' et ex 17, 2 'poliremus' ad finem libri I. Sed inter verba 'verecundia' et 'Derideantur' in utroque codice exstat signum R, quod in Pr interpretatus est librarius in margine: 'require quod intermissum est'. Eadem verba leguntur et in B et in Pr post 'poliremus'. Praeterea libri III cap. 18 libro IVb[1] exeunti

---

cum eo, qui arcanum sermonem non continuerit'.) Tamen Pfeifferus hanc orationem videtur putare spuriam. Omisit eam in editione.

[1] Librum IV qui exstat in editionibus ex duobus confluxisse con-

adnexum est; ex verbo 'tota' (III 25, 6) ad finem libri IVa omnia omiserunt BPr. In codice Pr manus posterior supplevit post 'tota' 'efferantur' et addidit notam 'hic deficiunt fere tres carte'.

Iam aliquot variae lectionis exempla adferam: Ex prologo in librum I hoc modo sermo procedit in utroque codice: 'si nil aliud hoc certe sciam omnia angusta esse. Sed haec deinde. Nunc ut ad propositum veniam opus audi quid de ignibus philosophia (phylosophya Pr) velit quos aer transfusos agit'. Reliquis quoque locis, quos comparare inter se mihi licet, adeo congruunt B et Pr, ut satis esse videatur adnotare, quomodo discrepent. II 1, 1 'sublunaria' (supra 'nari' '⸗ limi' libr.) B 'sublu **[1] naria' Pr (p. ras. corr. libr.) 'siderum servat' (supra t parv. ras.) B! 'syderum servat' Pr 'firmiter creteque' B 'firmiter (supra er ⸗ e add.) creteque' Pr 'contextu' (u corr. ex a!) B 'contextu' Pr 'an in vices' B 'anni vices' Pr. § 2 'de agris' (i supra g scrips.) B 'de agis' Pr. § 3 'commotus' B 'cum motus' Pr 'fiat' B 'fiant' Pr 'in quo' B 'in qua' Pr. § 4 'et inaequalis' B 'an inaequalis' Pr. § 5 'terrae sit status' (s. l. '⸗ situs', quod ita scriptum est, ut et 'sinis' possit intellegi corr.) B 'terrae sit * sinis (ut in B et 'situs' legi potest) status' Pr 'subsederit' B 'consederit' Pr. In libri IV cap. 5, 1 exhibet Pr eandem quam B interpolationem 'ad lancem'. Lib. VI 17, 3 'apud asclepiodo. tum' (do ex de corr. corr. per d lineol. ducta est: đ) B 'apud asclepiad'. tum' (ū lineol. adrasa) Pr. Praeterea in huius libri cap. 26, 2 'multumque secum deferens limum' praebent BPr.

Denique comparabo libri VII paucos locos a Fickerto in libro Bambergensi neglectos cum Pragensis scriptura: VII 1, 3 'statim' BPr 'intensionis ac remissionis' BPr. § 4 'praeter consuetudinem evenit' BPr. § 5 'raro et insolite figura' BPr. § 6 'per igneos cursus' BPr. § 7 'et globata' BPr.

Iam videamus, quid ex his exemplis liceat colligere. Codices B et Pr praebent libros naturalium quaestionum lacunis eisdem haud parvis mutilatos, eodem modo audacissime interpolatos,

---

stat. Partem priorem, qua agitur de Nilo, vocant IVa, posteriorem de grandine IV b.

[1] * rasuram indicat.

per unum ordinem eisdem maxima ex parte notis discriptos. Quae recensio praeterea una cum Asclepio et Nemesii libro in utroque codice traditur. Itaque non solum cum Schenkelio codices similia tradere statuemus sed eruere conabimur alter ex altero an ambo de communi fluxerint fonte. Pragensem codicem ex Bambergensi non descriptum esse — sumamus enim quod quamquam non constat tamen ex toto codicis Pr statu verisimile fit, temporum rationem huic rei non plane contradicere — et inscriptione libri III in B omissa (v. supra p. 7) et toto corruptelarum genere evincitur. Nam talis error II 1, 2 aquis — agis — agris per alium ordinem (e. g : aquis — ags — agis) propagari vix potuit, quare in Pr priorem corruptelae gradum cognoscimus. Et sine dubio quae tradit B: II 1, 3 'commotus'; 'fiat'; 'in quo'; depravata sunt ex genuina scriptura quam Pr non mutavit. Dico 'non mutavit', nam ne Pragensem fontem alterius libri esse putemus ea re, si quid video, prohibemur, quod codicis B librarium, quem neglegentiorem iam paucis his quos adtulimus locis, deprehendimus, tam perspicue quae Pr II 1, 5 ('terrae sit • sinis status') et II 1, 1 ('sublu••naria') forma minus dilucida tradidit verisimile non est disposuisse. Sed optime res se habet, si in communi utriusque codicis fonte variam lectionem supra lineam vel in margine adnotatam non eodem modo in apographa translatam esse sumimus. Itaque quasi fratres hos codices adpellare non dubito. Ceterum archetypo et ipsi interpolato iam aberant quae desideramus in BPr, et libri I lacunis signum R et nota 'Require quod intermissum est' adscripta erant.

Quae cum ita sint codex Pragensis ad priorem illius recensionis formam restituendam non parvi faciendus est, quippe qui ab homine diligentiore quam fuit libri B librarius exaratus esse videatur, licet ille rasuris unam alteramve lectionem variam, quam B servavit integram, corruperit.

II. De Berolinensi et Wirceburgensi codicibus.

Quoniam codicum BPr recensio, quamquam interdum sola genuinam servavit lectionem, sine dubio non tanti facienda est,

quanti libri Berolinensis E[1] (M. l. Oct. 9) multo magis nostra interest requirere, num de codicum Berolinensis et Wirceburgensis W[2] (M. ch. f. 59 saec. XV folior. 366) cognatione certum fieri possit iudicium. Nam qui adhuc libro Wirceburgensi utebantur ex comparata codicum E et W lectione archetypon restituere posse sibi visi sunt.

Ad hanc rem diiudicandam iterum ordiamur a librorum inscriptionibus, quas tamen singulas inter se comparare supersedeo. Nam cum E ad librorum numerum pauca de argumento adiciat, W talia fere omnia praetermittit; veluti librum V hoc modo signaverunt: 'Incipit liber quintus naturalium questionum de ventis' E 'finit quartus sequitur quintus' W. Sed unam rem W aliter ac E tradidit: in fine prologi libri primi haec adnotat: 'Pars executiva in qua primo exequitur de impressionibus ignitis' quam inscriptionem certe non antiquitus traditam esse forma ipsa docet. Librum IV a in fine quaestionum positum librum VIII notant EW.

De lacunis haec habeo quae adferam. Ex libro III ad VII locos 82, quibus sine dubio aliquid intercidit in E, elegi. Quarum lacunarum 20 codicibus EWL communes sunt, 62 non nisi in EW inveniuntur. Inter 62 illas 9 sunt maioris ambitus, maxima IV Praef. (§ 7– § 13) 'Nec invidebo — intervallum sit'. Id spatium (III 25, 11), quo 'vitiliginem' scribendum erat, vacuum servarunt EW. W autem in libris supra dictis 6 lacunas exhibet, quae non exstant in E, omisit enim III 25, 2 (p. 227, 36 H) 'et'; IV Praef. 1 (238, 38) 'si'; IV 4, 1 'dicam' (E: 'quaeritur dicam. Quaeritur' ['dicam' s. l. m. 2]; VI 16, 3 (283, 31) 'enim'; VI 22, 2 (288, 6) 'et'; VII 13, 2 (305, 37) 'que'. E contrario E nullum omisit verbum quod W tradidit praeter unam illam lacunam I 11, 3 'adpa'| — | 'quentur in pravum' I 15, 8, quae duorum foliorum iactura in ipso codice facta est.

---

[1] De eo codice v. Fickert Prolegg. p. 49; ed. Senecae III praef. p. VII. H. Diels Seneca und Lucan. (Abhdlgen d. Berl. Akad. 1885) p. 44.

[2] cf. L. v. Ian in Seebodii annalibus philol. XXXI p. 252 et p. 261 sqq. et B. Larischii collationes libri I et II 1—26, in tribus programmatis editas (Sagani 1870. Patschkauiae 1874, 1879).

Denique de ipsa fextus forma statuendum est nullum fere locum in toto codice W inveniri quin artissimam cum libro E cognationem prae se ferat. Sane lapsus calami haud paucos sibi permisit librarius, quamquam saepissime prave scripta statim lineola ducta delevit vel correxit. Nec coniecturis plane abstinuisse videtur interdum felicibus. Quam rem non est cur miremur, si quidem socius fuit illius hominis, qui aliam codicis partem scripsit (cf. adn. infr. p. 12).

Iam codices ipsi loquantur. Prolaturus sum aliquot locos, e quibus certissimam de re proposita sententiam a me probatum iri spero. Eligam praeter vitia singularia maxime eos locos, quibus varia lectio in E aliquo modo adnotata est.

III Praef. 6 'classibus' E! W 'penitens' EW 'bello' (non 'hoste') EW. 7, 2 'excidit' EW. 9, 3 'conspicitur' EW. 19, 2 'ignotos' (s m. 3 s. l.) E! 'ignotos' W. 26, 2 'impendio solebat' (s. l. add. m. 2 vel 3 'incendio sol ebibit') E! 'impendio solebat' (s. l. 'al. incendio' 'al. sol ebibit') W. 26, 6 'chersonesso' ('nesso' s. l. add. librarii!) EW. 29, 8 'hionis' EW. IV 2, 1 'animum' (del.) 'amnem' (s. l. m. 3!) E 'amnem' (hoc verbum antea omissum supplevit librarius paulo diverso atramento, quo passim correcturas adscripsit) W. 2, 3 'comitibus' E 'coeuntibus' (corr. ex 'comitibus') W. (cf. praeterea quae adnotavit Diels in editione libri IVa adnexa ad libellum supra memoratum ad vocem 'stagnat' [2, 8] et ad 'serpens' [2, 19]). 5, 3 'cane' (corr. m. 3 in 'ea ne'!) E 'ea ne' W. VI 7, 1 'germanicos' E 'germanos' (corr. ex 'germanicos') W. 15 'inclusat' E 'inclusat' W. 24, 6 'peloponensiaci' (supra 'on' add. 'm' m. 2) E 'peloponemsiaci' W. VII 10, 2 'hesitatus ne qui restet' E! 'hesitatus nec qui resisteret' W. 30, 6 'eleusin' (del. s. l. add. m. 3! 'plenius') E 'plenius' (i. lac. suppl.) W. Lacunae codicis W postea ab ipso librario expletae optime explicantur, si in scribendo dubitationem de locis illis ei ortam esse sumimus, quam deinde vel suo iudicio vel aliorum consilio usus summovit. Denique ut plane perspicuum sit, quod allatis exemplis verisimillimum factum esse puto, scilicet librum W ex E descriptum esse[1], duo loci

[1] *idem* suspicatur Diels. l. l. p. 44.

sufficient: II 57, 2 'excus * | (fin. lin.) saglans' E! 'excus — saglans' (in media linea script., per lacunam lineolam duxit manus posterior) W. VI 1, 4 'consedis | (fin. lin.) se terre motu' E 'consedis — se (in lin.) terre motu' W.

Itaque codicem W, cum non solum lacunis, variis lectionibus, vitiis singularibus cum E congruat sed etiam correcturas a manu posteriore in alterum librum inlatas receperit et interdum male perspectas in vitium verterit, denique rasuris et ipsis linearum intervallis in errorem perductus sit, ex ipso E descriptum esse constat. Cui rei non obstat, quod lacuna illa libri I (cf. supra p. 10) quae Herelii tempore, quo codex E adhuc Erfordiae adservabatur, iam vacabat (cf. ed. Fickerti III p. 433 i. fin.) in W non invenitur. Nam cum duo ipsius libri Berolinensis folia exciderint, hoc demum postquam W descriptus esset fieri potuisse quis est qui neget? Et civem nunc Herbipolitanum re vera patre Erfordensi oriundum esse subscriptione edocemur, quae legitur in calce libri 'Ciceronis de proprietatibus terminorum' (in W f. 4r—24v): 'Finit erfordie anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono in collegio porte celi alme universitatis Erfordensis in profesto Mathie per me Iohannem Spaen de Cranendorch[1]. Amen'. (scripsit CRANENDORCH, sed vide adnotationem).

Quae cum ita sint, codex W ad emendandas naturales quaestiones iam non adhibendus est, praeter unum illum libri I locum, ubi nobis libri E scripturam solus servavit.

Quaestionum naturalium codicem Escurialensem O III 2 (bip. pag. 198 foll. saec. XIII/XIV) ex codice olim Beccensi, nunc deperdito (cf. G. Becker Catal. biblioth. antiqu. No. 86, 110) profluxisse probavit Gu. d. Hartel (cf. Bibl. patr. Lat. Hisp. Vindob. 1886 p. 98 i. adn.). De eo codice pauca adferre possum, quae mihi perscripsit vir humanissimus R. P. Petrus Fernandez O. S. A. bibliothecae Escurialensis custos. Liber ille inscriptiones et subscriptiones exhibet has:

---

[1] 'Iohannes Spaen de Cranenborck' receptus est inter cives almae universitatis Erfordensis vere anni 1466. cf. Geschichtsquellen der Provinz *Sachsen. VIII 1. p. 315.*

Lucii Annei Senece de naturalibus questionibus liber. Incipit de grandine et nive.

Grandinem hoc modo fieri . . . . . .

. . . . familiaris rigor.

Explicit liber primus. Incipit secundus De ventis.

Ventus est . . . . .

. . . . vita consumitur.

Explicit secundus incipit liber tertius de terremotu.

Pompeios . . . .

. . . obviam exire.

Explicit liber III incipit liber IIII de cometis.

Nemo usque eo (l idem L) tardus . . .

. . . et levi manu querimus.

explicit IIII liber. Incipit quintus de fluminibus (?)

Quantum philosophiam interest . . . .

. . . . necessarium factum est.

explicit liber V incipit liber VI de tonitruo et fulgurationibus.

Omnis de . . . .

. . . . nunquam effugit.

Incipit liber VI (!) de aquis frigidis vel calidis.

Non praeterit . . .

. . . sine magistro vicia discuntur.

Incipit liber VII Quare Nilus crescat estate.

Delectat te . . . . dulcior gustus.

Lucii Annei Senece de naturalibus questionibus liber VII explicit.

Est codex stirpis L. Vetustioris ordinis vestigia non servavit. Neque quidquam videtur tribuendum esse inscriptioni libri III (Haasiani), quoniam librarius in libri IV b inscriptione et subscriptione omnia mutavit. Itaque pro recentiore codicis aetate rei criticae exercendae non multum inde videtur venire subsidii.

III. De ordine librorum.

Iam adgrediamur ad disputationem de re non semel nec pari eventu a viris doctis tractata[1]. Quaeramus enim quomodo naturalium quaestionum libri[2] ab ipso auctore ordinati sint. Sed mihi non in animo est primo sententias adhuc latas percensere deinde quid ipse iudicem exponere. Immo quibus rebus prohibear, ne eis qui adhuc de hac re egerunt, adstipuler, in ipso quaestionis cursu paucis comprehendere malo.

In capite autem totius quaestionis hoc pono. Proficiscendum est a causis quas dicimus exterioribus, id est ab inscriptionibus et subscriptionibus librorum, maxime eis, quae cum codicum statu nobis ante oculos posito non concinunt. Nam causis ut ita dicam interioribus, quamquam in auxilium eas postea advocabimus, tamen ad totius quaestionis fundamentum struendum non nisi summa cum cautione utendum est, ut in hoc libro minus diligenter compilato[3] ita in auctore Seneca.

Subscriptio libri IV b, quam tradit codex L[4]: 'annei senece lib. III explicit de nubibus incipit IV de ventis' neque ex ordine in ipso codice L servato[5], neque ex libri E dispositione[6] (si quis ex ea libri L ordinem profluxisse contendat) explicari potest. Cui rei praeterea nec Larischii (idem qui in LV) nec Schultessii[7]

---

[1] F. Haase Animadvers. ad Sen. libr. d. rem. fort. et nat. quaest. Ind. lect. Vratisl. 1859. p. 7 sqq. B. Larisch De Senecae nat. quaest. codice Leidensi. Vratisl. 1865. p. 31 sqq. F. Schultess De L. Annaei Senecae quaest. nat. Bonnae 1872. p. 5 sqq. H. Diels l. l. p. 28 in adn.

[2] Praeter libros, qui nobis toti vel maxima ex parte servati sunt, olim alii non exstitisse videntur.

[3] cf. H. Diels l. l. p. 29. Totus liber est testis.

[4] De exteriore codicis statu Larischius in dissertatione (p. 4 sqq.) egit. Verba addita ad inscriptionem paginae tertiae de quibus intellegendis ille desperavit: ('Maistre pierree (!) Loustoner) cancus vencoen' ('oe' non perspicue scriptum est, supra 'n' exstat litera 's') lego: 'canonicus venciensis'. (Episcopus Venciensis occurrit in actis concilii Aptensis. cf. Martène Anecdota. IV p. 331 c. 341 a. Est oppidum Vintium ad Varum fluvium situm, hodie: Vence. Ceterum iam antea Andegaviae fuit codex.)

[5] IV b V VI VII I II III IV a.

[6] I II III IV b V VI VII IV a.

[7] *v. infr. p. 18 adn. 4.*

ordo satisfacit. Concludendum autem est ex verbis ‘de nubibus’, quae ad libri fragmentum nobis servatum nemo adscribere potuit, hanc subscriptionem iam eo tempore exstitisse, quo iactura primae libri IVb partis nondum facta erat[1]. Verisimillimum autem est totam librorum perturbationem eo ipso tempore ortam esse, quo uno casu cum illa libri IVb prima parte et libri IVa extrema deleta est. Codex L ex libro illo ‘tertio de nubibus’ librum quartum, quintum, ceteros usque ad decimum enumerat. Eandem libri IVb subscriptionem praebet codex Parisinus 8624 (cf. quae Diels ex schedis Rosbachii nuper publici iuris fecit l. l. p. 28 in adn.), sed accedunt alia, quae fortasse ad antiquiorem ordinem referenda sunt. Haec dico:

IVb. Grandinem . . . .

Subscr.: Lucii annei Senecae liber tercius explicit de nubibus.

V. Incipit IIIIus de ventis. Ventus est . . .

Subscr.: Lucii annei Senecae naturalium quaestionum ad lucilium iuniorem de ventis liber IIIIus explicit.

VI. Incipit Vus de terrae motu: Pompeios . . . .

Subscr.: Explicit septimus.

VII. Incipit octavus. Nemo . . . .

Subscr.: Explicit liber sextus.

Deinde libri I—IVa ut VII—X enumerantur.

Itaque libri IVa V VI qui uno tenore in omnibus codicibus leguntur, tertius, quartus, quintus notantur. Vidimus (p. 7) BPr exhibere in capite libri V: ‘Incipit liber quartus’, cum priores quattuor libros, perspicue parte lineae vacua relicta et litera initiali adpicta separatos, nota non signassent. Et monendum est libri IVb subscriptionem, si qua forte olim exstabat in illis codicibus (stirpis BPr), facillime ab eo, qui ad librum de grandine libri III caput 18 adnexuit, deleri potuisse. Denique librum VI Pr notat quintum, quam libri accurate exarati inscriptionem archetypo codicum BPr tribuere non dubito.

Accedit aliud. In codice Guelferbytano (Gud. 10) non plures quam sex libri enumerantur. Sed librarius cum libris I—III, qui literis maiusculis incohantur, suas notas (‘Incipit liber

[1] Tantundem Hermannum Diels his verbis tribuere gaudeo.

primus' etc.) addidisset, primam libri IVa literam, quae in exemplari, quod exscripsit, eodem modo adpicta erat, maiore spatio vacuo relicto omisit[1]. Cur huius libri initium signare noluit? Invenit ille in calce libri IVb verba: 'Explicit liber tertius incipit quartus de ventis' .... Itaque quod hac subscriptione videbatur postulari, ex libri tertii initio ad finem libri IVb unum tantum librum numeravit.

Dixerit quispiam: Quid? Codicis optimi Berolinensis inscriptiones nullius tibi videntur esse momenti? Re vera nullius! Nam in illo codice sine dubio deleta sunt omnia prioris ordinis vestigia. Praeterea hominem non indoctum suamque sapientiam inscriptionibus inserentem his verbis deprehendimus: 'Lucii Annei Senece Cordubensis Patrui Lucani Poetae Primus Liber .... Incipit'.

Habemus igitur antiquissimi ordinis partem[2] non uno codice traditam: Liber tertius (IVb), quartus (V)[3], quintus (VI). Denique de libro V et VI (Haasii) hoc moneo, quamquam non certum tamen verisimile esse verba V 14, 4. 'Sed haec diligentius persequar cum quaeram de motibus terrae' (ut illa III 1, 2 'Nilum interim seponemus a turba ..... et illi suum diem dabimus' cf. IV 1, 1 'quod superiore libro distuli') ad proximum librum pertinere.

Restat ex eis, quae in codice Parisino 8624 respicienda esse putavimus, libri de cometis inscriptio 'Incipit octavus'. Quibus verbis quae antecedunt 'Explicit septimus' arte coniuncta fuisse elucet. Nam qui librum de terrae motu quintum vocavit, eidem vix 'explicit septimus' subscripsisset. Itaque quoniam adhuc Parisini notis tantum tribuendum esse intelleximus, illa quoque inscriptio ad antiquum illum ordinem, sub ruinis latentem, re-

---

[1] Hanc rem inspecto codice Augustus Brinkmann amicus mecum communicavit.

[2] His tribus libris alios inseri posse Hermanno Diels non concesserim.

[3] Paucis refellam, quod viri docti dicunt, librum de ventis praefatione plane carere. Immo praefatus est Seneca, quamquam more per hos libros inusitato, eis verbis quae capite primo leguntur. Quod ipse in fine indicat: 'Nunc ad ipsam rem accedamus, quoniam satis de formula disputatum est'.

ferenda esse videtur. Quae coniectura commendatur subscriptione archetypi librorum BPr 'Lucii Annei Senece Explicit'.

Iam extremam ipsius libri partem in ius vocemus. Pergit Seneca, postquam suam de cometis sententiam protulit, paucis verbis de religione erga sidera servanda praemissis, hoc modo: VII 30, 2 'Nec miremur tam tarde erui quae tam alte iacent'. Non omnia humanae cognitioni aeque dicit patere, sensim nova addisci. 'Multa venientis aevi populus ignota nobis sciet'. Praeterea homines multo magis vitiis exercendis quam studiis propagandis vires suas adhibere. Queritur deinde, quod nemo philosophiam respiciat, scholarum fata inducit ..... 'philosophiae nulla cura est. Itaque adeo nihil ex his invenitur, quae parum investigata antiqui reliquerunt, ut multa, quae inventa erant, obliterentur: at mehercules, si hoc totis membris premeremus, si in hoc iuventus sobria incumberet, hoc maiores docerent, hoc minores addiscerent, vix ad fundum veniretur in quo veritas posita est, quam nunc in summa terra et levi manu quaerimus'. Quae verba optime in finem totius quaestionum voluminis quadrare quis negabit? Concinit talis epilogus et cum auctoris ratione scribendi et cum totius libri consilio. Quod clarius etiam adparebit, si ceterorum librorum extremas partes cum hoc epilogo comparaverimus. Agitur extremis capitibus libri I de luxuria, libri II de vano mortis timore, (libri III ratio non habenda est quippe qui a libro IV a [cf. supra p. 16] separari non possit) libri IV b de luxuria, libri V, de dei donis ab hominibus corruptis, libri VI de morte non timenda. De libri IV a exitu certum scire non possumus, tamen nulla re impedimur, quominus ea verba quae tradit Chrestus[1] apud Lydum de mens. IV 68 ποικίλαι μὲν οὖν αἱ περὶ αὐτοῦ (τοῦ Νείλου) δόξαι, τὸ δὲ ἀληθὲς κατὰ τοὺς ἀνθρώπους τέως οὐδαμοῦ. κατὰ γὰρ τὸ λόγιον τὸ δ'ἀτρεκὲς ἐν βαθεῖ ἐστί[2] ipsius Senecae fuisse sumamus.

Itaque epilogum supra memoratum melius quam ceterorum

---

[1] Sententia quam deinde ipse promit Chrestus Iubae est. Cf. Plin. N. H. V 9, (10), 51.

[2] Sed fortasse haec verba sumpsit ille ex Senecae libro VII exeunte 'vix ad fundum veniretur, in quo veritas posita est'.

librorum fini omnium quaestionum adcommodatum esse adparet. Sed unus libri primi locus videtur obstare, ne librum de cometis ultimum fuisse statuamus. Nam I 15, 4 tradunt LBPrG 'cometas nostri putant, de quibus dictum est.' In uno codice W (lacunam in E exstare maxime dolendum est) prima manu scriptum est 'dicendum' (per compend.) postea correctum est ita, ut fortasse 'dictum' legi possit, quamquam litera d (syllabae — dum) non deleta est.[1] Tali modo liber W haud raro correctus est, ubi librarius in codice E, quem exscripsit, aliquid mutatum vel variam lectionem adnotatam invenit. Cuius rei exempla aliquot adferam: III 20, 5 'mira' (corr. 'um' m. 2) E! 'mirum' ('um' i. ras.) W. V 18, 13 'in sima' (i. marg. 'suma' m. 2) E! 'in sima' ('al suma' suprascr.) W. VI 5, 2 'introspicere' ('tro' suprascr. m. 1) E! 'introspicere' corr. ex 'inspicere' W. VI 17, 1 'abrumpit' (i. marg. add. 'abripit' m. 2) E! ex 'abrumpit' corr. 'abripit' W. VII 15, 5 'delent' (literae l suprascr. b) E 'debent' (b ex l corr.) W. Itaque si tota nostra disputatione eluxerit, librum VII non posse non in fine quaestionum naturalium positum fuisse, libri E primam manum re vera 'dicendum' exhibuisse non dubitabimus. Sed interim seponamus hanc dubitationem, donec de ceteris libris quaestione peracta novis subsidiis adiuti illam difficultatem profligemus.

II 1, 1 haec leguntur: 'Omnis de universo quaestio in caelestia, sublimia, terrena dividitur. Prima pars naturam siderum scrutatur . . . . Secunda pars tractat inter caelum terramque versantia . . . . . Tertia illa pars de aquis . . . . . quaerit et . . . . . de omnibus, quae solo continentur.' Quicumque haec legerint talem partitionem neminem proferre fatebuntur, quin aliquo modo eam aut secuturus aut secutus sit.[2] Sed statuamus necesse est Senecam, quamquam generalem illius

---

[1] Sive nunc hoc sive illud legendum est, certe Larischium, qui 'dicendum' ex 'dictum' correctum esse dicit, (cf. Programm. Patschkau. 1874. p. 10 adn.) errasse possum adfirmare.

[2] Itaque Schultess tantum huic dispositioni tribuit, ut primum totius libri locum ei vindicarit. Quo magis mirandum est, postea eum in singulis libris ordinandis tres illas partes plane sprevisse. Nam cum hunc *ordinem statuisset: II III IVa IVb V VI VII I* libros ita disposuit, ut

divisionis tenorem sine dubio aut ascendente aut descendente ordine servabat, tamen et primae et tertiae parti attribuisse multas res, quas nec tractavit nec tractaturus erat. Attamen dices fortasse: 'Cur ille non in capite quaestionum promittere potuit, quae postea perficere prohibitus est?' Quam dubitationem ut refellamus iam quid secundae parti adscripserit auctor videamus. Leguntur in omnibus codicibus haec verba § 2 'Secunda pars tractat inter caelum terrasque (EL) versantia. Hic sunt (om. BPr) nubila, imbres, nives

et humanas motura tonitrua mentes

quaecumque aer facit patiturve.' Et paulo post pergit: 'Quomodo, inquis, de terrarum motu quaestionem eo posuisti loco, quo de tonitribus fulgoribusque dicturus es?' Quid? ubinam terrae motum enumeravit Seneca? Sane Haase quam sibi fingebat codicum lacunam ita supplevit, ut post 'nives' 'terrae motus, fulgores' adderet, qui quidem cur 'ventos' omiserit, quoniam sine dubio inter ea quae aër facit patiturve habenda sunt, ego non intellego. Omnino nihil excidit. Immo versu illo, quo usus est Seneca, edocemur, minime eum hoc loco singulas res artificiose disponere, sed in universum adumbrare materiam. Praeterea tunc vix nubila, imbres, nives, quae certe uno libro comprehensa erant, singula indicasset. Quae si recte disputavimus, elucet quaestionem de terrae motu ante hunc de tonitribus fulgoribusque librum positam fuisse. Quam ob rem, cum hic liber quinto in antiquissimo ordine postpositus sit, in illo exordio libri II auctorem, sive de terrenis sive de caelestibus initium ceperat, res omnino non tractatas promere adparet. Nam ex terrenis nihil praeter aquas et Nilum, ex caelestibus cometas tantummodo tractavit.

Sed hoc ipso prooemio docemur caelestia adhuc non absoluta esse. Nam cum verba quae in posteriore § 4 parte leguntur in universum dicta sint (cf. 'quia cum propria terrae excutimus suo loco' et maxime haec 'et cetera huiusmodi,

---

quem primum esse voluit ad partem secundam, secundus et tertius ad tertiam, quartus, quintus, sextus ad secundam, septimus ad primam, octavus ad secundam referendi essent.

quotiens in manus venerint terram secuntur' . . . . .), priora illa: 'Dicam quod magis mirum videbitur: inter caelestia de terra dicendum erit' ('et de' Vulg. codd. om. 'et') ad propositas quaestiones pertinent, sicut ea quae de terrae motu dicuntur. Videmus ergo coniecturae illi de libri VII (Haasiani) positione, quam paucis adhuc causis fulcire potuimus, nova succurrere argumenta. Denique verba 'tertia illa pars' ad rem absolutam videntur respicere. Itaque ex terra ad caelum eos qui legebant Senecam perduxisse pro certo habeo.

Indicia autem certa praesto sunt, nisi omnia me fallunt, et eius rei, quomodo libri II et I (ordinis vulgati) positi fuerint. Exstant II 7, 2 haec verba: 'nam aquarum quoque similis facilitas est, nec de unitate illarum dubium est, quae sic corpora accipiunt, ut semper in contrarium acceptis refluant. Hanc nostri circumstantiam, Graeci ἀντιπερίστασιν adpellant, quae in aëre quoque sicut in aqua fit. circumsistit enim omne corpus a quo impellitur: nihil ergo opus erit admixto inani. (cf. cap. 7, 1) Sed haec alias'. Extrema verba in codicibus paragraphi signo post 'alias' posita prioribus arte adnexa sunt, cum tamen editores ea capiti proximo falso adtribuant, et nisi ad 'circumstantiae' vim in ipso aëre cognoscendam referri non possunt. Nam quae omnino de aëris natura habuit auctor, prioribus capitibus exposuit, ut in posterum ei praeter illam rem non absolutam iam nihil differendum esset. Certe quid hoc loco Seneca circumstantiam dicat dubium esse non potest, cum ipse rem paucis explicet.[1] Et exstat locus, ad quem verbis 'Sed haec alias' illa expositio transfertur, I 2, 1 hic: (de corona agitur) 'quemadmodum fieri dicatur, exponam. Cum in piscinam lapis missus est, videmus in multos orbes aquam discedere et fieri primum angustissimum orbem, deinde laxiorem (codd. Larisch.) ac deinde

---

[1] Idem indicat Aristoteles Meteorol. IV 4, 7 (p. 48 Id.) Ἔστι δὲ σκληρὸν μὲν τὸ μὴ ὑπεῖκον εἰς αὑτὸ κατὰ τὸ ἐπίπεδον, μαλακὸν δὲ τὸ ὑπεῖκον τῷ μὴ ἀντιπεριΐστασθαι. τὸ γὰρ ὕδωρ οὐ μαλακόν· οὐ γὰρ ὑπείκει τῇ θλίψει τὸ ἐπίπεδον εἰς βάθος, ἀλλ' ἀντιπεριΐσταται. cf. ibid. IV 9, 13 et quae ad huius loci vocem ἀντιμεθίσταται adnotat Ideler in ed. II p. 508.

alios maiores, donec evanescat impetus et in planitiem immotarum aquarum solvatur: tale quiddam cogitemus fieri etiam in aëre. cum spissior factus est, sentire plagam potest: lux solis aut lunae vel cuiuslibet sideris incurrens recedere illum in circulos cogit. nam humor et aër et omne, quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis est eius, quod impellit. omne autem lumen rotundum est: ergo et aër in hunc modum lumine percussus exibit.' (cf. et § 7). In ceteris libris locus nullus reperitur ad quem libri secundi promissum ('sed haec alias') referri possit. Praeterea perspicue ad librum II respicitur in libri I cap. 1, 6 'denique, ut breviter dicam, eadem ratione fiunt ista (ignes aëre creati) qua fulmina, sed vi minore. quemadmodum nubes conlisae mediocriter fulgurationes efficiunt' e. q. s.

Itaque librum I post II locum habere probatum est.

Iam eo pervenimus, ut inter libros quos statuimus quintum de terrae motu et octavum de cometis sextum de fulgoribus tonitribusque et septimum de ignibus qui fiunt in aëre inserere possimus. Hoc loco circumspiciamus, num omnino fieri potuerit, ut libri Haasiani I II VII, postquam libros IVb—VI collocavimus, in alia sede ponerentur. Tunc enim primum locum unus ille liber, quo de caelestibus agitur, dico VII, accepisset. Sed quomodo sedem secundam, quae sola vacat, expleamus? Liber III IVa dirimi non possunt (cf. supr. p. 16.). Liber II primum antecedere debet Haasianum. Et e contrario qui ex caelestibus ad ea quae fiunt in aëre quaestionem traducat praeter I nullus liber aptus est. Itaque ut primum de libri IVb genuino loco recte nos diiudicasse concesseris, sequitur ut nec VII nec II nec I liber in priorem quaestionum partem referri possit.

Restat ut libros, quibus de terrenis agitur, III de aquis, IVa de Nili incremento in ea qua iam desiderantur sede collocemus. Et primum libro III locum, postquam Schultess (l. l. p. 11) praefationem nisi in priore quaestionum parte ferri non posse monuit, vindicavit Diels. Quae viri docti sententia valde per se arridet. Nam re vera prologo totius voluminis aptissima sunt talia (III 1): 'Non praeterit me, Lucili virorum optime, quam magnarum rerum fundamenta ponam senex, qui mundum circuire

constitui . . . . (§ 4) . . festinemus et opus nescio an superabile, magnum certe, sine aetatis excusatione tractemus. Crescit animus, quotiens coepti magnitudinem ostendit et cogitat, quantum proposito, non quantum sibi supersit.' Accedunt alia, quibus haec coniectura maxime commendatur. Traditur enim III 23 'Haec est ergo aquarum divisio ut quibusdam videtur (sic! BPr 'quaedam ut videtur' EL) post illum (L [scil. Oceanum?] 'illas' Pr 'illam' EB) ex posterioribus caelestes (Memm. L; 'celestes ex posterioribus' Pr; 'scelestes ex posterioribus' B; 'ex superioribus coelestes' E) quas (B ! PrL^2 'aquas' EL^1) nubila excutiunt: ex terrenis' e. q. s. Res mihi est cum verbis 'ex posterioribus,' quae exstant in codicibus Memm. LBPr. Et monendum est eius recensionis, cuius nunc optimum testem librum E tenemus integrum, Memmianum meliorem imaginem olim praestitisse. Itaque verba illa, praesertim cum in codicem L, in quo aquae caelestes antecedunt librum III, interpolator ea inferre omnino non potuerit, ut putemus in ipso archetypo exstitisse cogimur. Ceterum quo tempore in codice E 'posterioribus' in 'superioribus' mutatum sit (quod necesse est, cum ex 'posterioribus' correctum sit, ad libri positionem non ad caeli altitudinem referamus), postea videbimus.

Itaque auctor, cum illa scriberet, libri IVb materiam nondum tractaverat. Et uno loco, si codicibus fides habenda est, Seneca ipse librum de aquis terrenis ut primum respicit. Tradunt enim E ! LB! V **14, 1** 'Repetam nunc quod in primo dixeram, edi e specu ventos recessuque interiore terrarum'. Exstant autem similia in ipso libro V non nisi cap. **4, 1**, et ibi nec specus nec recessus commemorantur. Praeterea ante hunc locum (**4, 1**) et E et B signis haud dubiis vel tria vel duo (si quam praefationem esse dixi partem omittimus) capita segregarunt. Quare si illa verba respici putamus, verbum 'in' eiciendum est. Sed mihi Senecae libri III caput **16** in animo fuisse verisimile est, ubi haec leguntur (§ 4) 'Sunt et illic (sub terra) specus vasti, sunt ingentes recessus ac spatia hinc et inde montibus laxa; sunt abrupti in infinitum hiatus . . . . . Haec spiritu plena sunt', quamquam ibi non de ipso vento sed de spiritu verba fecit.

Denique librum IVa[1] ante VI editum esse, eis quae VI 8 narrantur de Nili fontibus a Neronis centurionibus investigatis probatur. Nam sine dubio Seneca alioquin hanc narrationem ei libro servasset, cum hoc loco per excursum tantummodo, scilicet Neronis gratia, rem tangeret. Etiam illis verbis (§ 3) 'Nescis autem inter opiniones, quibus enarratur Nili aestiva inundatio, et hanc esse, a terra illum erumpere et augeri non supernis aquis sed ex intimo redditis?' (cf. IV 2, 26; 27) videntur iam peracta respici. Denique decet auctorem, postquam primi libri praefatione de consilio suo et de philosophiae praestantia verba fecit, iam secundo ineunte eum inducere, cui quaestiones illas in primis scripsit. Itaque elucet et prologum libri IVa huic sedi optime adcommodatum esse.

Sed unam rem adhuc omnino non tetigimus, qua Schultess commotus est, ut libri I prologo locum in capite omnium librorum vindicaret. Dico inscriptionem illam, quam Bambergensis et, ut vidimus, Pragensis quoque tradidit (cf. supra p. 7). Tamen in archetypo illorum codicum etiam libri III, Haasiani praefationem dictam esse 'prologum' demonstravimus. Itaque facillime fieri potuit, ut is qui librum I primo loco posuit, aliquid inscriptioni adderet vel numerum libri omitteret. Nam cum Schultessio illum 'Prologum': 'Quantum inter philosophiam interest' e. q. s. toti quaestionum volumini praeponere non possumus, quod liber noster primus suam habet praefationem. Praeterea si hoc fieret, liber de ignibus prorsus capite esset privatus. Et fatendum est ei libro, quo ex sublimibus rebus ad caelestia quaestio traducitur, talem prologum satis aptum esse. Ceterum ne, quod vult Schultess, verba (I 1, 1) 'Nunc ad propositum veniam opus' foras eiciam, ea re prohibeor, quod et in codice L leguntur, quamquam ibi liber I quintum locum obtinet. Sed quisnam nos cogit, ut verbum 'opus' omnino ad totum volumen referamus? Nonne eodem sensu adhiberi potuit, quo dicitur 'pensum'?

---

[1] Quando fere hunc librum Seneca scripserit sciremus, si de epistulae 56. tempore constaret; cf. 56, 3 . . 'quamvis audiam cuidam genti hanc unam fuisse causam urbem suam transferendi quod fragorem Nili cadentis ferre non potuit' cum N. Q. IV 2, 5 i. f. Certe epistula 70 ante terrae motum Pompeianum nec non ante librum N. Q. VI scripta est.

Itaque librorum ordinem statuimus hunc. Initium capit auctor a rebus terrenis. Agit libro I (III) de aquis terrenis, libro II (IVa) de singulari flumine Nilo. Transit deinde libro III (IVb) per aquas aëre humido creatas ad sublimia. (Verisimile est hunc quoque librum olim maiore prologo exornatum fuisse.) Secuntur libro IV' (V) venti, libro V (VI) terrae motus. Utrosque facit merus aër. Tunc ex libro VI (II) igneae naturae miracula inducuntur. Fulmina quidem extra aëris regionem non progrediuntur, quae libro VII (I) enarrantur ad fines aetheris flagrantis pertinent, cometae 'aeterna opera naturae' per summum aethera labantes caelestibus adnumerantur libro VIII (VII).

Nunc videamus, quomodo cum eo ordine quem genuinum olim fuisse evincere conati sumus, codicum status nobis ante oculos positus congruat. Eodem casu quo aliquot foliorum iactura inter librum IVa[1] et IVb scissura facta est, librorum II I VII ordo ita turbatus est, ut II et I inter VI et VII exciderint. Deinde I II III IVa ad VII libri finem adnexi sunt. Eidem libri vetustioris ordinis vestigia, numeros subscriptionum, nobis non servarunt. Et ut quem nunc in codicibus L, Parisino, Vincentii libro habemus, olim archetypi omnium codicum, qui post illam cladem acceptam scriptus est, fuisse ordinem statuamus, non una re suadetur. Occurrit in primis librorum BPr lacuna illa maxima (III 25, 6—IV a fin.), quam Larisch plane incredibili librarii cuiusdam neglegentia factam esse putat. Fingit enim sibi (in diss. p. 32) hominem illum librum IVa (ut factum est in E) in finem voluminis redacturum fuisse, postea cum et librum IVa et partem foliorum libri III suo loco movisset, et illum et haec inserere oblitum esse. Quod vix cuiquam probaverit. Immo ut in codice Parisino 8624 interierunt omnia ex IV 2, 19 ('vernis') ad finem libri IVa, ita in simili exemplari ex III 25, 6 plura videntur deleta esse. Quae fulcitur coniectura una re, quam Larisch non satis clare indicavit: Librorum BPr quamquam nunc eundem quem E librorum ordinem praebent, lectio multo propius ab L quam ab E abest. Cui rei demonstrandae aptos locos elegi e libris VI et VII. Ex 144 libri VI variis lectionibus una offerunt EL contra B 66, BL contra E 64, BE contra

[1] *Hoc loco* numeris utor Haasianis.

L 14; locis 146 eius generis in libro VII concinunt EL contra B 62, BL contra E 57, BE contra L 27 variis lectionibus. Omnia adferre exempla supersedeo. Sed ut re vera diversam traditionem exstare eluceat eis locis, quibus BL congruentes contra E faciunt, pauca promam: VI 1, 4 'titubantia' E 'sollicita' LB. 1, 11 'consistis' E 'consistitis' LB. 2, 1 'inprudentibus' E 'imperitis' L 'inpericulis' B. 2, 3 'omnia esse timenda' E 'omnia esse metuenda' LB. 6, 1 'innare' E 'in mare' L 'in mari' B. 7, 4 'occurrat' E 'incurrat' LB. 10, 2 'ceciderunt' E 'deciderunt' L 'decidunt' B. 14, 2 'mordacius' E 'moratius' LB. 16, 2 'stellae quarum diffiniri' E 'st. q. inveniri' L 'st. q. iniri' B! 19, 1 'damnamus improbare' E 'improbamus damnare' LB. 20, 6 'abrasit' E 'arrosit' LB. 21, 2 'huiusmodi' E 'eiusmodi' LB. 29, 2 'non desipere' E 'consipere' L 'concipere' B. VII 6, 2 'arida humidaque' E 'humida aridaque' LB. 12, 2 'respondemus' E 'respondebimus' LB. 12, 4 'sideris defectio' E 'defectio siderum' LB. 28, 3 'motu' E 'motibus' LB. 29, 2 'transiit' E 'transcurrit' LB. 32, 1 'philosophiam' E 'philosophum' LB. Et cum talem librorum LB congruentiam vix quisquam dixerit casu fieri potuisse, paucis illis locis, quibus EB contra L faciunt, semper librarius codicis L errasse videtur. Accedit argumentum ex lacunis petitum: cum per totas quaestiones ne uno quidem loco EB contra L aliquid omiserint, LB contra E 52 lacunas exhibent. Haec consilio addidi, quia Larisch[1] eis locis, quibus LB eadem praebent, interpolatorem in librum L grassatum esse suspicatus est, quod ut quadret ad omnes illas lectiones varias, quod mihi quidem non persuadebit, certe ad lacunas non pertinet. Itaque cum ex una parte, quod nemo negabit, E et L artissima lectionum adfinitate coniuncti sint, ex altera L et B inter se saepissime congruant, E et B inter se maxime distant. Quare Larischio minime credemus E et B propter parem librorum ordinem (nam librum IVa in E consilio a librario transpositum esse putat) ipsa stirpe a libro L differre. Iam vero si libri B proavus, ut ita dicam, item illum librorum Francogallicorum ordinem praebebat, quomodo in libro I 'dicendum' illud in 'dictum' (cf. supra p. 18) mutari potuerit elucet.

[1] Larisch in diss. p. 36 (35 b). cf. p. 43 (38).

De libro E haec monenda sunt. Interpolatio illa quam statuimus (v. supra p. 22) libri E 'superioribus' non nisi in libros, qui ordinem codicis Leidensis sequebantur, potuit inferri. Neque aliter de verbo 'libris' iudicaverim, quod II 23, 2 EL exhibent: 'superioribus libris collegimus'. Legendum est cum codice B 'superioribus collegimus' id est eis, quae capite 22 traduntur. Attamen tale quid in librum E irrepere non potuit nisi eo tempore quo non unus sed plures libri secundum anteirent. Videtur igitur factum esse, ut homo quidam in eo codicis statu offenderet, qui ex fragmento incipiens (hoc enim eum qui paulo diligentius legebat fugere non potuit) in fragmentum exiret. Quare libros dimidio divisos ita composuit, ut duo illa fragmenta in unum librum coirent. Quod in codice Gallico factum esse videtur. Certe codex Guelferbytanus (Gud. 10) ex Francogallia oriundus est[1]. Erat enim episcopi cuiusdam Tolosani et correctus est ad exemplar Clusinum. Postea cum pars codicum veterem ordinem non mutatum servaret (L Par. cod. Vinc.), ceteri alternis vicibus, quas persequi nobis non licet, novum receperunt (E BPr G). Denique quemadmodum factum sit, ut in codice E liber IVa in fine collocaretur, Larisch (diss. p. 32) videtur recte exposuisse.

De tempore, quo prima illa perturbatio gravissimaque facta sit, certum evincere non possumus. Si de codicum fatis quae supra diximus recte disputata sunt, communem omnium archetypum vix saeculo VIII recentiorem fuisse censendum est. Nam ut ex illius recensione quae nobis servatae sunt fierent, sane haud parvo temporis spatio opus erat. Ceterum Chrestum, supra memoratum, de Nili incremento librum legisse integrum manifestum est. Sed de viri aetate non constat[2].

---

[1] cf. F. A. Ebert Zur Handschriftenkunde. II p. 146.

[2] Postquam Useneri coniectura (in mus. Rhen. vol. XXIII p. 492) 'Chrestus' (sic! cod. Valent. Freher. Petav.), cuius Hieronymus ad annum 360 mentionem facit, in 'Charisium' (cod. Bong. 'Charistus') mutatus est (quamquam Chrestum Africanum et hic et illic haberemus, cf. Hieronymi locum et apud Lydum de mens. IV 68 Chresti ultima verba), quantum scimus, unus sophista ille Atheniensis, Herodis Attici discipulus (v. Philostratus Vitae sophist. ed. Kayser p. 91) restat.

IV. Analecta critica.

Priusquam ad singulos aliquot locos accedam emendandos, hoc moneo: Senecae quaestiones naturales non tam simplici via ad nos pervenerunt, ut in uno alterove codice omnis salus posita sit. Immo saepissime E, saepissime EL (V), saepe LB, haud raro B (interdum BV), interdum L(V) genuinam lectionem tradiderunt. Itaque sine dubio Larisch ipse illa tabula, quam in fine dissertationis (p. 48) proposuit, summa cautione usurus erat. Numquam obliviscamur, hic nobis non cum librorum de beneficiis codice Nazariano rem esse, sed cum fonte per plures rivos inaequaliter diffuso. Quare saepissime aliunde petenda sunt, quae in recognoscendo genuino Senecae sermone nos adiuvent. Neque omnibus locis hoc modo ad certum finem perducimur. Nam quemadmodum auctor verba posuerit, ubi E et LB diversa tradunt, saepe diiudicari plane non potest. Tunc facere non possumus, quin libri optimi E auctoritatem sequamur. Praeterea e. g. num Seneca 'timeo' (E) aut 'metuo' (LB) interdum scripserit vel talia, ex ipso scriptoris usu statuere non possumus, quippe qui nunc hoc nunc illud praeferat. Iam ad rem propositam accedamus[1].

II 27, 3 'nubes dissolvitur' tradunt EL. Deinde omnes codices et Vincentius praebent 'mentem'. Quod num apud Senecam ferri possit, nescio. Sane exempla non inveni.

29 E tradit: 'quanto vocaliora verba sint (vel 'sunt'? Gerckius) vacua quam plena'. V: 'nam et verba vocaliora sunt vacua quam plena'. LB: 'quanto vocaliora (quanta validiora B) sunt v. q. p.' Videtur scribendum 'quanto vocaliora ad verbera sunt' e. q. s.

30, 1 . . . . 'populosque subita nox terruit. Illo tempore aiunt tunc plurima fuisse tonitrua et fulmina' . . , edidit Haase. Qui quomodo istud 'illo tempore — tunc' explicare potuerit ego non video. Vincentius post 'tempore' demum priorem

[1] Ex libro I et libri II capitibus 1—26, a Larischio emendatis, praeter unum locum (v. infr. p. 46) nihil adferam. Praeterea ad librum de Nili incremento nuper ab Hermanno Diels maxima ex parte editum pauca tantummodo adnotabo.

finit sententiam, sed verba ‘illo tempore’ eo quoque loco supervacua sunt. Fickert ea omisit. Fortasse excidit aliquid, quamquam nihil desideramus, nam prorsus non intellegitur, cur aliquis ad unam temporis definitionem alteram adscripserit. Deinde scribendum est ‘fulmina et tonitrua’ quod exhibent ELB.

30, 4 ‘ista quae dixi (sicca corpora) sive incendiis vaporantibus aëra repleverunt, sive ventis terras verrentibus’ B (verentibus EL [sed L secund. r suprascr.]) . . . Fickert et eum secutus Haase receperunt ‘urentibus’, quod codice Palatino 3 Gruteri traditum esse fertur. Sed ego omnino non intellego, quomodo ventorum illa vis, qua sicca corpuscula in altum auferuntur, sicut vapore, non incendiis, (hoc addo, quia tali cogitatione viris doctis illa lectio videtur commendata esse) felicius comprehendi possit, quam verbo ‘verrere’.

43, 2 ‘adepti sunt potentiam’ (E!) recipiendum videtur. ‘a. s. sapientiam’ L. ‘potentiam a. s.’ B.

46 (de fulminibus et de Iove agitur). ‘Singulis non ad omne (et ‘omen’ legi potest) et vim et causam et manum omnibus dedit’ E. ‘Singulis non ad omne sed manum omnibus et vim et causam dedit’ L. ‘Singulis non adest sed signum et vim et curam omnibus dedit’ B. Vide lectionem genuinam glossematum mole fere obrutam: ‘Singulis non adest, sed omen et manum omnibus dedit’. In margine scilicet adnotaverat aliquis ad ‘omen et manum’ interpretationem ‘vim et curam’ (nam ‘cura’ ad ‘manum’ magis accommodatum est. ‘causa’ videtur corruptum ex ‘cura’), quae deinde in textum irrepsit. Praeterea in B videtur ‘omen’ ab interpolatore illo audacissimo, quem passim deprehendimus, in ‘signum’ mutatum esse, ‘manum’ interiit.

52, 1 ‘itaque fecit, qua effugiat. at (B; ac E!L) teneris et rarioribus parcit’ scribendum videtur.

52, 2 ‘durissimum et solidissimum’ corrigo cum E! L.

55, 2 ‘demissus in aquam’ quod scripsit Fickert (B: ‘in aquam demissus’) male mutavit Haase in ‘dimissus’ (EL). Quod ut librario imputemus exempla satis multa suadent.

55, 3 ‘Existimemus posse etiam (om. LB) aliquando (‘aliquando posse’ B) et hoc (E! L; et id B!) fieri’. Itaque propono: ‘Existimemus posse aliquando et hoc fieri’.

55, 4 ‘*Clidemus* ait fulgurationem speciem inanem esse,

non ignem: sic enim per noctem splendorem motu remorum videri'. Fickert; Haase. Sed 'videri' in codicibus optimis omnino non legitur 'splendorem motum revocare' E! 'motum (corr. ex 'metum') splendorem remorare' L 'splendorem' (cet. om.) B. Sub codicum EL lectione videtur latere genuina scriptura: 'splendorem motum remorum revocare'. Agitur enim de illo maris fulgore, qui non adparet, nisi aqua aliquo modo turbata est. Itaque unusquisque remorum ictus revocat splendorem.

59, 2 'Sequor quo vocas' recipio ex E! LV.

59, 9 'perdet bilis', quod Haase feliciter coniecit, legitur apud Vincentium.

59, 10 'honestius putas deiectione perire quam fulmine?' quod exhibet Vincentius ('deiectione animi' B) ('dilectione' EL) mordicus tenendum est, quoniam talis oppositio Senecae ingenio maxime placebat. Gruterus coniecerat 'deiectione alvi'. Sed solo verbo 'deiectio' auctor utitur Ep. 120, 16.

III Praef., 2 'Premittat ergo senectus' (E ! L) 'Praemittat ergo senectus' (B) 'Premat a tergo senectus' propono. (Erasmus; Koeler: 'Premit a tergo'.

§ 10 'Quid praecipuum in rebus humanis est? non classibus maria conplesse nec in rubri maris litore signa fixisse nec deficiente ad iniurias (iurias E!) terra errasse in oceano ignota quaerentem, sed animo omnia vidisse et, qua maior nulla victoria est, vitia domuisse'. Hoc loco quid sibi velit 'animo omnia vidisse' non intellego, nam non de cognoscendo mundo sed de vincendo agitur. Quare corrigendum est 'animo omnia vicisse'. Praeterea 'ad iniurias' lenius videtur dictum esse. Equidem ex 'iurias', quod praebet E!, quo magis contemptum suum patefaciat Seneca, verbum 'iurgia' elicuerim.

§ 11 'quid enim dignum habet' E ! LB!

§ 14 'puras ad caelum manus tollere' quod exhibent LB (extollere E) legitur et alias apud Senecam et omnino videtur in usu fuisse.

1, 1 'Quaeramus ergo de aquis et investigemus, qua ratione fiant' B edd. 'Quaeramus ergo de quibus rebus aquae fiant et investigemus q. r. f.' E; idem V (omisso 'fiant', 'investigemus'). L: 'Quaeramus ergo de terris quibus aquis et investigemus q. r. f.' Corrupta codicis L scriptura videtur genuinae lectionis ve-

stigia servasse: 'Quaeramus ergo de terrenis aquis' e. q. s. Verba 'de quibus rebus aquae fiant' ex glossa videntur orta esse.

Ibidem: 'sive, ut apud te, iuvenis carissime, invenio: elisus Siculis de fontibus exsilit amnis,' ediderunt Fickert et Haase secundum librum E. Sed primo ex LB recipiendum est 'Iunior carissime' (cf. IV praef. 9) deinde 'Eleus' (pro 'elisus,'), quod olim ex Pinciani coniectura Koeler receperat, nuper Schultess (v. sent. controv. I) postulavit, ex codice B! tandem aliquando restituendum est. Nam agitur de Alpheo fluvio, qui occulto cursu in Siciliam penetrare dicebatur (cf. cap. 26, 5). Praeterea hoc uno versu novum illud aquarum genus auctor voluit indicare. Sed si legimus 'elisus Siculis e. q. s.' omnino nihil novi accedit ad eas aquas quae versu priore Ovidiano inducuntur.

1, 3 'quaedam inveterata et a medicis desperata vitia' cum BV scribere malim. 'Veterata' enim, quod exhibent EL non legitur apud Senecam, 'inveterata' exstat in Cons. ad Marciam I 8 'vehementius contra inveterata pugnandum est.' Et monendum est litera m, in quam exit proxima vox 'quaedam', facillime syllabam 'in' obrui potuisse.

2, 2 (Aquae) 'Habent praeterea multa discrimina primum tactus . . . . . deinde coloris: purae sunt, turbidae, caeruleae, lividae.' Pro lividae (E^2) praebent E^1V: 'lucide' L: 'turgidae.' (B om. omnia ex 'turbidae — mortiferae sunt.') Pura et turbida inter se opposita sunt, nec non omnia exempla hoc loco allata contraria continent. Quamobrem iam expectamus colorem, qui caeruleo aliquo modo contrarius sit. Quod de 'livido' dici non potest; praeterea illa lectio coniectura in librum E videtur illata esse. Itaque lenissima mutatione scribo 'luridae' (quod exstat apud Senecam in Ep. 95, 16. Medea 789). E^1V praeter unam literam totum verbum, codicis L gravius corrupta scriptura literam r servavit.

10, 1 'quare ergo non ex terra fiat aqua'? 'ex' praebent EL; B totam sententiam mutavit.

10, 3 'omnium elementorum in alternum recursus sunt'. edidit Haase. 'in alterum' E! 'alterni' LB Fickert, sine dubio recte. cf. Consol. ad Helviam 20, 2 . . . . 'deinde condicionem *circumfusi maris* cursusque eius alternos et recursus'. Consol.

ad Polyb. 9, 6 'mare alternis aestibus reciprocum'. N. Q. III, Praef. 7 'alternae vices', cf. Herc. fur. 377: 'alterna vice'; saepius. N. Q. VI 13, 6 'alterna vis'. 'in' libri E videtur factum esse ex litera m verbi 'elementorum'.

. . . . 'ne portionum aequitate turbata mundus praeponderet'. 'portionum' videtur retinendum cum codicibus LB; contra E! 'proportionum'. cf. N. Q. IV 11, 2. De beneficiis VII 1, 5.

11, 2 'in Coryco monte', exstat 'corico' in E!

12, 1 scribo: 'flumen nempe facit (E!B!L) copia' e. q. s.

13, 1 'Adiciam, ut Thales ait'. (E!L.)

'Dicimus enim ignem esse, qui occupet mundum et in se cuncta convertat. hunc evanidum considere et nihil relinqui' e. q. s. legitur in editionibus. Sed tradunt 'evanidum languentem' E! 'eundem languentem' B 'evanidum languentemque' L. Propono 'evanidum languente vi'.

14, 3 Habemus locum, si quid video, graviore corruptela foedatum, quem sic edunt: 'Quomodo maris sic et aquae huius mitioris abdita est virium ratio: tantum ex illa, quantum semper fluere opus sit, emittitur. vasta maris in occulto via est, quam nullius fluminis cursus exhauriet'. LB verba 'abdita — emittitur' praebent post 'cursus exhauriet'; praeterea hoc modo variant codices: 'etiam huius aquae' L 'huius aquae' B 'virium eius' B 'quantum superfluum sit' B! 'quantum semper fluere sit' L 'maris' om. B 'fluminis nullius' B 'exhauriat' B. Quid est: 'vasta maris via, quam nullius fluminis cursus exhauriet'? Plane cogimur, ut scribamus quod ipse post Klammerum (Sent. contr. 3) conieci: 'vasta vis'. Sed quoniam positione sententiarum inter se distant LB et E, suspicio maioris perturbationis movetur. Et adparet verba 'abdita est virium ratio', quae ego hoc loco prorsus non intellego, male interpretari quae scribo: 'vasta ('maris' omitto secundum B) in occulto vis est'. Quae glossa deinde in textum irrepsit. Denique quid sibi velit 'quantum semper fluere opus sit' non magis perspicuum est. Quae corruptela quomodo facta sit sciet, qui codicum B et L scripturam inter se comparaverit. Primo 'super' in 'semper' mutatum est, deinde crevit vitium. Itaque totum locum sic restituo: 'Quomodo maris, sic et aquae huius mitioris vasta in occulto vis est, quam nullius fluminis cursus exhauriet: tantum ex

ruinis in fundo maris positis evolvantur non intellego. Omnia recte se habent, si 'ramentaque' legimus.

27, 1 'hiems pertinax inmensam vim aquarum ruptis nubibus eiciat' . . . E. 'deiciat' quod exstat in libro L praeferendum est propter Senecae usum. cf. N. Q. II 24, 1 (aqua) 'illo intenditur, unde imbre deiecta est'. De prov. II 1 'tantum superne deiectorum imbrium' . . .

27, 3 'ergo cum adfuerit illa necessitas temporis, multa simul fata causas movent' E. Sed ut ex codicis L varia lectione 'multas fata simul movent causas' recipiamus 'multas', commendatur eis quae secuntur in §§ 4; 7 sqq. Agitur enim de uno diluvii fato quod multis causis perficitur.

27, 7 'auctus deinde processu aliquo in se torrentibus raptis plana passim populatur: novissime in miseriam (coni. Haase) magnam gentium clarus onustusque diffunditur'. Pro 'aliquo' posuit Haase 'aliquot'; quod in illo omnium elementorum tumultu maxime languet. Lenissima mutatione scribo 'obliquo'. Neque offendendum est in ea re, quod non 'aliis' vel tale quid ad 'torrentibus' accedat, cum 'torrens' totius sententiae subiectum sit (cf. § 7 in.). Sed haec verba 'torrens . . . . torrentes in se rapit' tanto maiorem inundationem depingunt. Praeterea non adquiescendum est in coniectura 'miseriam'. L exhibet: 'materia (compend. scr.) magna'. Codex E! praebet: 'maceriam magnam', et c illud non per errorem ex t factum est: si 'materiam' scribere voluisset librarius, ut alias semper, compendio usus esset. Itaque non dubito, quin verbum rarissimum 'maceries' (cf. Afran. v. 150 Ribb.) hoc loco a Seneca adhibitum sit, quod ut erat adsimile verbis 'maceratio, macerare' aptissimum esse videbatur, quo aquarum undique irrumpentium clades exprimeretur.

Denique quod adhuc ediderunt 'clarus' quo modo arte coniunctum cum 'onustusque' ferri possit, ego non video. Sed 'elatus' quod exstat in E! recipiendum est.

27, 9 '. . . et magnarum promuntoria regionum, quae fundamentis laborantibus (codd.) a continenti recesserunt'. Haase: 'labantibus'. Mihi quidem forma magis placet 'labe ruentibus'. 'Labes' legitur apud Senecam De brev. vit. 7, 1; alias. *Simili sensu adhibetur* III 29, 6 'tabes'.

coniecit Pincianus) mihi quidem latere videtur 'crede' et nomen proprium per dativum casum expressum. Quod locus Plinii N. H. XXXI 2, (2), 5 videtur praestare: 'vapore ipso aliquae (scil. aquae) prosunt tantaque est vis, ut balneas calefaciant ac frigidam etiam in solis fervere cogant. quae in Baiano Posidianae vocantur' . . . . Itaque propono: 'crede Baianis, quibus' e. q. s.

Secuntur haec: 'spiritus in illa fervens loco aestuanti infunditur. hic per rivos lapsus (B Vulg. 'hic per lapsus' E; 'hic pertusos lapsus' L) non aliter quam igne subdito parietes et vasa balnei calefacit'. Ex 'pertusos' quod exhibet L ('pertuso' Brit.) eliciendum est, quod corruptum in E videtur omissum esse: 'per tubos'. Idem olim Muretus edidit. 'Per rivos' enim huic rei non aptum est. cf. Ep. 90, 25 'ut suspensuras balneorum et inpressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor' . . . . .

25, 1 'Circa Nonacrin', quod Fortunatus coniecerat, commendatur et libri L scriptura 'Nonacrinum' (cf. B! 'nonagrinum' corr. ex 'novagrinum') et Plinii loco II 103, (106), 231, ubi exstat 'Nonacrim'. Nam forma 'Nonacria' (E) alias non legitur.

25, 3 'alia enim sunt (scil. flumina), quae pota inficiunt greges ovium, et intra certum tempus, quae fuerunt nigrae, albam ferunt lanam, quae albae venerant, nigrae abeunt.' Haase. 'fuere nigra' LE! (a s. l. add. E^{2}?) 'fuerunt nigra' B! Placent quae tradit L 'fuere nigra' (scil. lana).

25, 11 'aquam ex rore collectam' scripserim cum L (cf. Fickerti ed.) 'errore' E.

26, 3 'repugnavit' ELV. § 4 'longe remoto loco' EL.

26, 6 'Hoc et a te creditum' ex E iure restituit Schultess (sent. contr. 1): idem legitur in L. Sed deinde retinuerim 'est ut in prima' ('prima parte' L) (Schultess: 'exstat in primo') scil. 'dixi'. Respicit enim Seneca versum Lucilii III 1, 1 allatum.

26, 8 'Mare vero cadavera stramentaque et naufragorum reliqua similia ex intimo trahit' . . . . 'naufragiorum' corrigendum esse vidit Haupt (cf. Opusc. III 2, 449). Sed locus nondum sanatus esse videtur. Nam quomodo 'stramenta' navium

sio[1] 'solo adminiculo', quod vertit 'durch die blosse Einwirkung', offendimus in voce 'adminiculo', quippe quae aliam rem videatur expostulare, quam adiuvet). Lactantius inst. VII, 4, 3: (Stoici) 'putantque homines in omnibus terris et agris tamquam fungos esse generatos'; quod sine dubio et ad cetera animalia pertinet (cf. Bernays. p. 57 i. f. p. 58 in.). Itaque conicio: 'glaeba generabitur'.

IV Praef., 10 'Frugalitatem laudare coepisti, qua sic a novis moribus resiluit, ut illos nec habere nec damnare videatur' edidit Haase. 'moribus' quod ille posuit, commendatur scriptura libri L 'nostris maioribus' ('nostris' i. ras. 'maioribus' s. l. add.). Sed 'nostris' retinuerim.

§ 15 'Non mihi in amicitia Getulici vel Gaius fidem eripuit, non in aliorum persona infeliciter amatorum Messala (Messela E) et Narcissus, diu publici hostes antequam sui, propositum meum avertere potuerunt' legitur in codicibus. Sed Messala flagitiorum Narcissi socius plane ignotus est. Certe de consule anni 58 talia non traduntur. Itaque re vera commendatur, quod praebet editio Erasmi II: 'Messalina'. Messalina et Narcissus quam multa una peccaverunt! Denique ad haec verba: 'diu publici hostes antequam sui' optime quadrant, quae de Messalinae interitu scimus (cf. Tacit. ann. XI 29 sqq.; Dio LX 31). 'infeliciter amatorum' satis obscure dictum est. Fortasse hic latet vitium: P[3] exhibet 'infeliciter armatorum'; sed de qua omnino re agat Seneca incertum est.

§ 21 (Agitur de laude Siciliae provinciae) . . . 'quae maximarum urbium exercitus et sustinuit et fregit . . . . cum quatuor Romanorum principum id est totius imperii vires contractas in unum locum vidit aliudque (EL) Pompei fortunam erexit' e. q. s. (de 'quatuor' principum viribus cf. quae adfert Koeler in ed. p. 483) 'altamque Pompei' ex editione Veneta repetiverunt editores, quod minime arridet. Sed hoc loco illustrari puto, quod supra verbis 'et sustinuit' tetigit auctor. Itaque lego:

---

[1] J. Bernays Ueber die unter Philons Werken stehende Schrift über die Unzerstörbarkeit des Weltalls. Abhdlgen d. Berl. Akad. 1882. p. 57 in adn. 1. De aliis philosophis, quibus similia placebant, v. Zeller [redacted]*hie der Griechen* III 1[3]; p. 415. et ibid. adn. 4.

'totius imperii vires contractas in unum locum vidit aluitque'... (De verbi formis per 'que' coniunctis cf. H. Klammer Animadversiones Annaeanae. Bonnae 1878 p. 5 sqq.).

2, 7 '(Nili venas vocant incolae) ex quibus magna vis funditur, non tamen quanta operire possit Aegyptum. in haec ora stipem sacerdotes et aurea dona praefecti, cum solemne venit sacrum, iaciunt'. E exhibet non 'Aegyptum' sed 'oriri'. Quod mendum quomodo factum sit difficile est dictu. Nam quod supra legitur 'operire' per errorem hoc modo repetitum esse non est veri simile. De maiore totius loci perturbatione collatis Lucani versibus X 323 sqq. cogitare iure vetuit Diels (p. 24 comm. supr. dict.). Denique 'oriri' e margine huc illatum non esse elucet, cum in proximis sententiis nullum verbum exstet ad quod adscribi potuerit. Ad ea quae antecedunt vocabulum adhuc obscurum pertinere non potest; absoluta sunt. Eis quae secuntur de donis in ora illa iaciendis agitur. Sacra illa cuinam fiunt? Inscriptione hieroglyphica, quae exstat ad ipsum Nilum in loco Gebel Silsileh (edita a Ludovico Stern Zeitschr. f. ägypt. Spr. 1873 p. 128 sqq.) Ramses II rex sacra instituit perpetua deis Amon-Ra et Nilo (Stern p. 133). Sed Osirin quoque aliquo modo cum Nili incremento coniunctum fuisse ex 'libellis mortuorum' elucet[1]. Praebent enim interdum: 'Es breitet aus Osiris seine Arme, um zu erleuchten den Nil in seiner Verborgenheit' (alias idem de Iside dicitur), quod quo modo non de solvendis fluminis secretis dictum esse putemus, quamvis Diels (p. 18 adn. 1) dubitationem moverit, ego non video. Certe apud Graecos circumferebatur fabularum Aegyptiacarum interpretatio, qua Osiridis et Nili fata artissime coniungebantur: eadem esse ferebantur. Testis est Plutarchus De Iside et Osiri c. 32 (p. 54, 6 Parthey) .... τῶν φιλοσοφώτερόν τι λέγειν δοκούντων τοὺς ἁπλουστάτους σκεψώμεθα πρῶτον. οὗτοι δέ εἰσιν οἱ λέγοντες, ὥσπερ Ἕλληνες Κρόνον ἀλληγοροῦσι τὸν χρόνον ..... οὕτω παρ' Αἰγυπτίοις Νεῖλον εἶναι τὸν Ὄσιριν, Ἶσιδι συνόντα τῇ γῇ, Τυφῶνα δὲ τὴν θάλασσαν, εἰς ἣν ὁ Νεῖλος ἐμπίπτων ἀφανίζεται καὶ διασπᾶται ..... cf. c. 33 (p. 57, 2 P.) ... οἱ δὲ σοφώτεροι τῶν ἱερέων οὐ μόνον τὸν Νεῖλον Ὄσιριν

[1] Hac in re benigne me adiuvit v. d. A. Wiedemann.

καλοῦσιν, οὐδὲ Τυφῶνα τὴν θάλασσαν, ἀλλὰ Ὄσιριν μὲν ἁπλῶς ἅπασαν τὴν ὑγροποιὸν ἀρχὴν καὶ δύναμιν . . . . . cf. c. 36 (62, 1 P.) Οὐ μόνον δὲ τὸν Νεῖλον ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἁπλῶς Ὀσίριδος ἀπορροὴν καλοῦσι, καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ . . . . Senecam in libro ‘de situ et de sacris Aegyptiorum’ Osiridis fabulam commemorasse fragmento edocemur apud Servium in Aeneid. VI 154 (II 33 Th. et H.) servato. Eundem fabulae formam a Plutarcho traditam novisse non audacius videtur sumptum esse. Itaque locum propositum sic restituo: ‘Osiri in haec ora stipem’ e. q. s. Fortasse hoc modo edocemur quis sit ‘deus undarum celator, Nile, tuarum’ (Lucan. X 286. cf. Diels p. 18 adn. 1).

2, 2 ‘inconcessus’ E ‘inconcestus Par. L^1 (L^2 supr. ‘incon’ scr. ‘se’). ‘inconcessus’ offendit (Diels p. 12 adn. 2). Diels egregie coniecit ‘in concessa’, sed fortasse tunc non satis adparet, quo modo a in us mutari potuerit. Si respicimus, quae adfert Seneca IV 2, 8 ‘circa Memphim — amplexus Aegyptum’ (cf. Aristides Αἰγύπτιος II 350, 18—20 J. οὐκοῦν αἱ μὲν ἐγγὺς κτλ. p. 351, 1—3, p. 363, 7 καὶ πρῶτον μὲν — (9) μετρητὸς ἤδη), iam non audacius videtur ex ‘concestus’ restituere illud verbum, quo Seneca N. Q. V 15, 1 et III 15, 8 concava aquis concipiendis idonea indicat scil. ‘conceptus’. Fortasse vertit vocabulum Graecum; cf. τὰ κοῖλα Aristid.

3, 6 ‘nec non inter nivem et grandinem interesse’ praebet praeter codices Opsopoei L (i. ras.). E!: ‘glaciem’ (non adn. Fickert).

5, 1 Illa codicum LB, quam statuimus, adfinitas, ea re illustratur, quod L omisit ‘ad obrussam’ (‘ad obrusam’ E!), quae verba BPr interpolatione ‘ad lancem’ suppleverunt.

7, 2 ‘At decuriones iudicia reddebant in illos, quibus delegata erat cura providendae tempestatis’. E: ‘decuriones’; B: ‘cleonis’; L: ‘cleone’. Itaque scribendum est ‘At Cleonis decuriones’ non solum, quia ea, quae in cap. 6 de oppido illo narrantur, primis capitis 7 sententiis interrumpuntur, sed quia verba quae infra secuntur ‘et apud nos’ talem oppositionem desiderant. Neque miror in verbis simillimis (‘decuriones’ per comp. scripsit E) alterutrum excidisse.

8 ‘*altera, quod* radii solis a terra resiliunt et in se cur-

runt' E, editiones. Sed corrigendum est secundum B! LV 'recurrunt' (in E 're-' a 'se' obrutum est); cf. N. Q. I 3, 7 'visus noster in nos redit'.

11, 5 'vertices aeterna nive possessi' E; 'obsessi' LB. Sed 'possessi', quamquam poetici sermonis est, videtur praeferendum; cf. Herc. fur. 282 'et quidquid atra nocte possessum latet'.

V 1, 1 'Sic tranquillum mare dicitur cum leviter movetur'... B, editores; 'non cum leviter' E; 'cum non leviter' L; 'cum non nisi leviter' V, quod recipiendum est.

4, 2 'Bene nobiscum agitur, cum quod semper concoquitur sic emittit' E; 'quod cum' L; 'cum' om. B; 'concoquit' LB (omis. LB 'sic emittit'). Lectio Berolinensis placet, tantummodo 'cum' in 'dum' mutetur.

9, 1 'quia ver aquosius est et ex pluribus aquis locisque' e. q. s. Haase. E: 'quia aer aquosum est ex'; L: 'quia ver aquosum (idem V) est ex'; B: 'quod aer vere aquosus est ex'. Itaque videtur restituendum esse 'quia aër vere aquosus est: ex pluribus' e. q. s. Deinde 'At quare aestate aeque (E! LB!) profunditur?'

10, 1 Adhuc edebant 'et contra ortum plenis ventis navigatur' (E); sed nemo dixit 'pleni venti'. Genuinam lectionem exhibent LB! 'plenis velis'. cf. N. Q. VI 26, 1; VII 25, 7.

12, 2 'quia non fusus neque per apertum' exstat in E! LB! V.

12, 3 'si alios quoque flatus ex eadem causa fluentes' E; sed 'ruentes' (LBV) praetulerim, quia 'confluxere' statim sequitur. Praeterea cf. N. Q. II 22, 2 et Plin. N. H. II 48, (49), 131 (repentini flatus) 'vagi quippe et ruentes torrentium modo'. Hoc ipso Senecae loco flatus cum torrentibus comparantur.

12, 5 'quem modo sol facit (E! LBV) modo ipsa arietatio magnorum inter se corporum adtritus' E; 'et adtritus' B; 'magnorumque' L. Verbum 'magnorum' hoc loco plane ineptum omnia quae post 'arietatio' leguntur glossam esse indicat.

13, 3 'qui si pugnacior est ac diutius volutatus' scribo secundum E! B!; 'volutatus est' L. In fine § 3, quem locum totum sanare non possum, certe legendum est cum LB 'armamenta'. Nam quamquam sine dubio interdum vertex procellae

greges tollit, tamen id male cum navibus sublatis componitur. Quam restituimus sententia intellegenda est ut Plinii N. H. II 48, (49), 132: '(ecnephias) praecipua navigantium pestis, non antemnas modo verum ipsa navigia contorta frangens'.

• 14, 3 'Quae si ita sunt necesse est et illic' sensu postulatur; 'illud' codd.

15, 4 'urgens terrarum pondus', quod praeter librum E exhibet Vincentius, recte videtur recepisse Fickert.

17, 4 'Ergo horizon sive finiens circulus quinque illos orbes, quos modo dixi fieri, secat et efficit decem partes' ... Sed cum 'secat' non solum in EL sed etiam in G et editione Veneta exciderit, suspicio est verbum minus usitatum in ceteris codicibus omissum in B glossa suppletum esse. Quoniam verbum illud cum horizonte coniunctum est, ego cogitavi de 'limitat' (ὁρίζω: limito; Cyrillus). Certe Varroniana doctrina totum caput scatere manifestum est.

17, 5 (Agitur de ventis, qui quorundam locorum proprii sunt). 'Atabulus Apuliam infestat, Calabriam Japyx, Athenas Sciron, Pamphyliam Cataegis' ... 'Cataegis' coniectura est Fortunati sine dubio accita ex libri περὶ κόσμου capite 4. Quem ventum cur Pamphyliae adscribamus causa non est. Inspiciamus codices: E: 'Cagreus'; L: 'cacreus'; B: 'chagris'. Extrema syllaba —'eus' de loco aliquo ventum nomen accepisse testatur. Legimus autem apud Plinium N. H. V 27, (27), 98 et 99. '(Taurus mons vocatur) ubi brachia emittit subinde temptanti maria similis Sarpedon, Coracesius, Cragus' ... et ibidem 100 in Lyciae descriptione enumerat promunturium Cragus. Itaque ex codicum vestigiis 'Cragreus' restituere non dubito, quamquam hic ventus alias non occurrit.

18, 7 'horrendas noctes' E; 'horridas' LB! codd. Opsop. Utrum Seneca praetulerit vix dici potest: in dialogis quater 'horrendas' ter 'horridas' enotavi.

VI 1, 6 'a tempestate nos vindicat portus' E! LB! V.

1, 9 'utrum super me domus unius onus veniat et sub exiguo eius cumulo ac pulvere exspirem' videtur scribendum cum E! L.

1, 15 'sed omnis soli vitium est, male cohaerere et ex [illegible]*s causis* solvi' ... E! L.

2, 6 'Nullum maius solatium est mortis' . . E! LB! V.

7, 6 'Illic quoque potest recedere ac resurgere pelagus infernum, quorum neutrum fit sine motu superstantium' Haase. ELB: 'recedere ac retegere'. Col. Gruteri: 'accedere et retegere'. Fickert scripsit 'accedere et recedere'; qui quidem et sensui et usui videtur satis fecisse: cf. De ben. I 10, 1 'fluctus, quos aestus accedens longius extulit, recedens interiore litorum vestigio tenuit'. Sed sic non intellegitur, quomodo 'retegere' irrepere potuerit. Mihi quidem Coloniensis rectum videtur tradidisse (tantummodo 'ac' scribendum pro 'et'): 'recedere' illud in margine adscriptum erat ad 'retegere', deinde in archetypo librorum ELB genuinam lectionem 'accedere' obruit.

12, 1 'is qui supervenit spiritus, priorem premit et elidit ac frequentibus plagis primo cogit, deinde proturbat' legendum est secundum codices LB!, nam de 'perturbando' (E) non agitur.

13, 3 'in angulum pressus' (omn. codd.) cum Fickerto servaverim, nam quamquam sine dubio usitatum est quod e. g. exstat in libri I de ben. c. 1, 6 'in angusto compressus' tamen verbo 'angulus' Senecam libenter usum esse quivis liber eius testatur. § 4 'contrario' (omn. codd.) retinendum est. cf. Ep. a Buechelero editas 94, 2 (p. 41, 3).

16, 2 'alimentum ex terreno trahunt' iniuria contra codices mutavit Haase.

17, 1 '(aër) cum offenditur et retinetur insanit et moras suas abrumpit' quod adhuc edebatur, praebent E^1B. Tamen 'abripit' (L, marg. E!) Seneca videtur scripsisse; cf. Troad. 813 'abripite propere classis argolicae moram'.

17, 3 'apud Asclepiodotum invenies auditorem Posidonii in his ipsis quaestionum naturalium causis' legitur in editionibus. Sed extrema verba non recte se habent. Nam ne librum Asclepiodoti 'quaestionum naturalium causae' inscriptum esse sumamus verbo 'quaestionum' prohibemur, quoniam ille sine dubio non de 'quaestionum' naturalium causis scripserat. Et si ipsius Senecae ea verba esse putamus, e contrario non intellegitur, quid sibi velint 'causae'. Quod vocabulum 'fontes' interpretari sermonis usus vetat. Sed 'causae naturalium' dice-

bantur tales libri; cf. Charis. I 106, 14 K. 'Sed Fabianus[1] causarum Naturalium II neutraliter dixit' cum Sen. ep. 88, 26 'sapiens causas naturalium et quaerit et novit' . . . Itaque ab homine sciolo 'quaestionum' interpolatum esse adparet, quod in libro 'quaestionum naturalium' facillime fieri potuit. 'his ipsis', in quo quis offendere possit, interpretor 'quae mihi ante oculos positae sunt'.

19, 1 'Metrodorum Chium quia necesse est audiamus' quod praebent ELB videtur retinendum; cf. 'non enim permitto mihi' e. q. s.

19, 2 'Quomodo cum in dolio cantantis vox illa' . . codd. Quae correxerunt Haase 'illabitur' et Haupt 'cantas vox tua' (Op. II 336) non satis ad traditas literas quadrant. Scribendum

---

[1] Ipsius Fabiani (cf. Hoefig De Papirii Fabiani vita etc. Vratisl. 1852) Seneca mentionem facit N. Q. III 27, 3. Sed quamquam ibi sententiam eius impugnat, hac ipsa re nec non titulo supra allato verisimile fit plura a Seneca hausta esse ex libro eius, quo de ventis (Plin. N. H. II 47, (46), 121) et de mari (ibid. II 102, (105), 224) eum egisse constat. Ad eundem fortasse referenda sunt quae exstant III 25, 4: 'Auctores novos habeo'. Nam de ipso Varrone, ut conicit Koeler (in edit. p. 443) 'novos' vix dixerit auctor, quamvis Varroniana ibi (§ 3) promi locus Solini a Koelero accitus doceat. Praeterea quae apud Plinium de aquis Varrone auctore narrantur non uno loco optime cum Senecae doctrina congruunt (cf. N. Q. III 21, 1 cum Plin. N. H. XXXI 2, (18), 21; N. Q. III 25, 1.2 cum Plin. N. H. XXXI 2, (19), 27; N. Q. III 25, 11 cum Plin. N H. XXXI 2, (8), 11). Accedit aliud, quo Varroniana per Fabianum ad Senecam tradita esse verisimile fieri puto: in ultimis libri III capitibus quae exstat de diluvio futuro sententia praeter Fabianum praecipuum auctorem habet Varronem: cf. Censorin. d. d. n. 18 '(est annus maximus) cuius anni hiems summa est cataclysmos, quam nostri diluvionem vocant, aestas autem ecpyrosis' . . . cum Censorin. d. d. n. 21. '(Varro) hic enim tria discrimina temporum esse tradit, primum ab hominum principio ad cataclysmum priorem' . . . Denique monendum est maxime decere illam 'Romani roboris sectam' (N. Q. VII 32, 2) viri inter Romanos doctissimi persequi vestigia. Fortasse etiam Varroniana illa, quae leguntur in libro de ventis (V 16; 17), a Fabiano accepit Seneca, certe Posidonium Varronis excerptorem vix cuiquam Kaibelius (Hermes XX p. 618) probaverit. Denique sunt in Fabiani verbis a Seneca patre (Suasor. I 4) servatis, quae cum epilogo libri V optime concinant. Tamen eo argumento *in genere* hoc rhetorico summa cautione utendum est.

est 'cum dolio cantantis vox illisa' (cf. Cels. II 7 'spiritus illiditur faucibus'). Simile vitium exstat in E (c. 10, 2 i. f.) 'illis' pro 'illisum' (L); 'in' ex litera 'm' bis scripta factum esse videtur.

20, 1 'aquae magna vis' LB. 'fluctuari' quod exstat in E videtur praeferendum formae 'fluctuare' LB!. Certe enotavi e libris de beneficiis, dialogorum illam septies; haec non nisi uno loco (De otio I 2) legitur ('fluctuamus'), sed in codice Mediolanensi praeter literas fl totum verbum in rasura est.

20, 2 'ubi in unum locum congesta est' corrigendum est secundum LB. E: 'coniecta' ut V 3, 2 'coniectisque' pro 'congestisque' (B), ubi 'coniestisque' (L) medium corruptelae gradum repraesentat.

21, 2 'qua in latera nutat alterni navigii more' E!. L: 'qua in altera nutat alterni navigii more'. B: 'qua alterum mutat in alterum n. m.' 'alternum navigium' nemo videtur scripsisse. Itaque mutemus necesse est 'alterna'.

23, 4 '(Helice Burisque) quis illas casus in mare vel in illas mare immersit' edunt secundum E. Sed quoniam 'mare immergere in aliquam rem' ferri non potest, sine dubio Seneca scripsit 'inmiserit' quod exhibent LB!

ibid. i. f. 'Ideo frequentissime mari adposita vexantur et inde Neptuno haec adsignata est maris movendi potentia. Quisquis primas literas Graecas didicit scit illum apud Homerum Ἐνοσίχθονα vocari'. Quicumque recepit felicissimam Fickerti coniecturam Ἐνοσίχθονα (EL: mesibithona. B: mesiptona) offendere debuisset in verbis 'maris movendi', quod hoc loco plane insane dictum est. Immo agitur re vera de terras (L) movendi potentia; cf. Plin. N.H. II 80, (82), 194. 'Maritima autem maxime quatiuntur'. Sed ut libri E ita libri L scriptura interpolatio audacissima est, quamvis haec propius ad verum accedat. Scribendum est secundum B: 'haec adsignata est movendi potentia', nam quae sit 'haec potentia' primis sententiae verbis illustratur.

32, 10 'num perveniam' E!L exhibent.

32, 11 'quod annos numeravimus amissos' E!LV (numeramus B).

VII 1, 6 'ab illis fluens' exstat in E!LB!

2, 2 'illa quoque possunt et tenui constare materia nec ob hoc discuti adsiduo caeli circumactu' E!LB!Pr.

5, 3 excidit aliquid in E. Scribendum est secundum libri L lectionem: 'Charmander . . . . . ait Anaxagorae visum (visum om. L) grande insolitumque caelo lumen magnitudine amplae trabis et id per multos dies fulsisse (fulxisse L, lx suprascr.). Talem effigiem ignis longi (corr. ex longe L) fuisse Callisthenes tradit' e. q. s. B: . . . . . 'fulsisse tale effigiemque ignis longi fulsisse. Calistenes idem tradit fuisse' e. q. s.

8, 2 'rabidus ac violentus' quod legitur in E arridet. cf. Agam. 484. 'Quid rabidus ora Corus Oceano exerens' . . . cf. et Thyest. 360 sqq.

10, 1 'et ut des eis aliquam advocationem' recipiendum est ex E!LB.

13, 2 'nam si illi (Artemidoro scil.) credimus, summa caeli ora solidissima est in modum tecti (EL) durata et alti crassique corporis' e. q. s. Sed 'tectum' neque ad rem propositam neque ad verbum 'durata' videtur quadrare. Genuina lectio ex codicis B mendo 'testa' elicienda est. Quod si in 'testu' mutamus, verbum habemus et formae caeli aptissimum et rei de qua agitur. Nam testu est in primis vas illud, quod cinere calido imposito coquendo pani superponitur[1] (Varro d. l. l. IV 22. Cato d. r. r. 74; 75. Seneca Epist. 90, 23. p. 14. Bue.: 'testa'). Et si legimus § 3 . . . 'per quas ex parte exteriore mundi influant ignes' et maxime haec 'ex illa ultra mundum iacente materia' facere non possumus, quin Artemidorum intermundia non vacua, sed igne plena posuisse sumamus. Nam verbis allatis impedimur, quominus eum de ora illa solidissima ignes petere (quod quis coniecerit ex verbis Lu-

[1] Artemidorus Parianus praeter hunc locum et illum N. Q. I 4, 3 nusquam memoratur. Sine dubio fuit Epicureus, sed ne ea quidem re adiuvamur in hoc loco emendando. Nam Epicurus de 'summae orae' forma certum dicere noluit. cf. Epist. II (Laert. Diog. X 88) Κόσμος ἐστὶ περιοχή τις οὐρανοῦ . . . . . ἀποτομὴν ἔχουσα ἀπὸ τοῦ ἀπείρου καὶ λήγουσα ἢ ἐν περιγομένῳ ἢ ἐν στάσιν ἔχοντι καὶ στρογγύλην ἢ τρίγωνον ἢ οἵαν δήποτε περιγραφήν. (cf. Aëtius II 2, 3 p. 329a, 5 Diels). Neque Lucretius quo modo 'moenia mundi' (I 73; II 1144; V 454) formata sint *indicat.*

creti I 73 'flammantia (!) moenia mundi') putemus. Tunc vero et orae solidissimae et proximae superficiei insint spiramenta necesse est. Itaque Usener 'habent tamen spiramenta' legendum esse vidit.

17, 2 'nec hunc (cometem scil.) . . . . . illi similem fuisse, qui post necem divi Iulii Veneris ludis Genetricis circa undecimam horam diei emersit'. 'post (sic!) divi Iulii Veneris ludis' e. q. s. tradit codex E; 'post' om. B; 'post divi excessum (excessum i. marg. add. L^2) iulii cesaris ludis (s. l. add.) veneris genetricis' L. Libri L scriptura indicat non 'necem' sed 'excessum' excidisse, sed non eo loco, quo L^2 supplevit, sed ubi exstat 'cesaris'.

18, 2 'ut per illud superiora prospiciat' scripserim ex E ! L. 20, 3 'exclamare posses, quid hoc est' E ! LB.

20, 4 'quia obscurantur radiis solis' E ! LB.

22, 2 'numquam cometes in imum usque demittitur' corrigendum est ex codice B (dimittitur EL).

23 3 'ignis aëre expressus' exstat in E ! LB ! V.

25, 6 '(inrevocabiles motus) qui si quando constiterint alia aliis incident' quod sensu postulatur ('ex aliis' editorum non intellego) exstat in E ! L (B 'ex adverso').

30, 1 'voltum demittimus' videtur scribendum. (E: 'v. dimittimus'). cf. VII 1, 1 'demissus in terram'. Nam 'submittere' (LB) non dicitur de voltu sed de genu modo et de toto corpore. 'cum de sideribus, de eorum natura, de stellis disputamus' vulgo edunt secundum librum E. Sed 'de eorum natura' plane superfluum est. LB exhibent 'de deorum natura' post 'de stellis' positum. Illud re vera creditum a Stoicis (cf. Cic. de nat. deor. I 14, 36. 37. Krische Forschungen I p. 365 sqq. Zeller Ph. d. Gr. III 1^3 p. 190 adn. 3) toti huius loci sententiae maxime adcommodatum est, verba 'de stellis' praeterquam quod nil novi adferunt ipsa diversa in codicibus positione in glossematis suspicionem incidunt.

Denique 'impudenter aut ignorantes' quod Erasmus et Koeler recte scripserunt exstat in B ! et maxime miror editores recentiores in lectione ceterorum codicum 'imprudenter a. i.' non offendisse.

30, 6 'ex quibus aliud haec aetas, aliud quae post nos subibit aspiciet' E!LB!.

31, 2 'teneri et molli incessu suspendimus gradum: non ambulamus sed incedimus' E ('medimus' L). Sed 'incedere' hoc loco nullo modo verbo 'ambulare' oppositun est, quia ne uno quidem loco apud Senecam absolute de molli pedum motu adhibetur. cf. e. g. De ira II 7, 2; Ad Serenum de constantia sapientis 17, 2; maxime Troad. 465 sqq.

. . . 'hos vultus meus
habebat Hector, talis incessu fuit,
habituque talis' . . .

Unus codex B genuinam scripturam servavit 'sed repimus'.

Denique ex libro II unum locum non praetermittam, quem a Larischio quoque neglectum esse valde miror. II 19 'Anaxandros (ELB) ait: omnia ista sic fieri, ut ex aethere aliqua vis in inferiora descendat: ita ignis inpactus nubibus frigidis sonat'. Editores recentiores exhibent 'Anaximandros', etsi eiusdem sententia in proximo capite enarrata sit. Spernunt adnotationem Gronovii (a Fickerto editam in app. crit. ed. III p. 470), qua id quod Opsopoeus coniecerat 'Anaxagoras' probatur. Ille attulit Arist. Meteor. II 9 et Plac. III 3 (Aëtius III 3, 4 p. 368ª 10 Diels.) Ἀναξαγόρας ὅταν τὸ θερμὸν εἰς τὸ ψυχρὸν ἐμπέσῃ (τοῦτο δ'ἐστὶν αἰθέριον μέρος εἰς ἀερῶδες), τῷ μὲν ψόφῳ τὴν βροντὴν ἀποτελεῖ . . . . Tamen Fickert non emendationem optimam in textum, sed Koeleri adnotationem in re tam perspicua plane ridiculam in apparatum criticum recepit. Neque Haase neque Larisch correxerunt quod diu erat correctum.